DE LOCIS TERTII HORATI CARMINUM LIBRI, QUI INTERPOLATI ESSE FERUNTUR,

ANNOTATIONES CRITICÆ,

QUAS

PERMITTENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

P. P.

INGVAR OLSSON,
PHIL. D:R. SCANUS

IN AUDITORIO VIII

A. D. XVI CAL. FEBR.

H. A. M. IX.

LUNDÆ,
TYPIS MALMSTROEMI & SOC.,
MDCCCLXXXV.

Quum iam alio tempore [1]) interpolationum, quæ in scriptis Horati inesse creduntur, historiam breviter exposuerim, hic pauca tantummodo addam atque pleraque ea, quæ ad hodiernum huius quæstionis statum collustrandum pertineant.

Guilielmus Teuffelius iam a:o 1859 [2]) dixit doctrinam illam de interpolationibus ubique statuendis in artis criticæ historia quasi actum quendam efficere numquam tanto cum strepitu et tumultu tantaque iactatione rediturum. Hæc spes eum fefellit, nam post id tempus et Gruppi et Lehrsi et aliorum libri in manus hominum venerunt. Quod autem deinde pergit hypercriticorum opiniones diu neque prorsus convictas neque funditus repudiatas mansuras esse, id non modo tum verissimum erat, sed etiam nostro tempore valet. Hodie quoqne interpolationes inter criticos horatianos ut quondam inter deas Eridis aureum illud pomum causa certaminis est. Quæ quum ita sint, haud alienum mihi videtur per totum odarum librum interpolationum investigatores pedetemptim sequi et examinare, quibusnam rationibus atheteses suas confirmaverint. Qua in re quoniam intestina, quæ vocant, argumenta fere sola allata inveniemus ad demonstrandum interpolationes vere adesse, hic videamus, num qua in extrariis rebus posita foris assumi possint.

Keller ille quidem eiusmodi argumenta numquam esse prompta dixit [3]). Talia vero sine dubio habenda sunt et verba

[1]) In ann. crit. ad IV Horati carm. libr. præf.

[2]) In „Correspondenzblatt für die gel. und Realschulen".

[3]) Rh. M. 1864, 211.

illa Suetoni: „venerunt in manus" cet. et fragmentum criticas Probi notas continens a Th. Mommsenio inventum et iam a:o 1845 a Th. Bergkio descriptum [1]). Hæc argumenta Keller, quantum equidem scio, silentio semper præteriit. Quod si his certis testimoniis concludere licet interpolandi saltem conatus factos esse, tamen multis aliis rebus cogimur, ut interpolationes, quibus quidem contigerit, ut germanis Horati carminibus insererentur, perpaucas esse putemus.

Omnes codd. horatiani numero circa 250 ita inter se conveniunt, ut, si Sat. I: 10, 1—8 excipias, qui versus in deterioribus nonnullis mstis insunt volgoque spurii habentur, ne unus quidem versus in codice sit, quin etiam in reliquis inveniatur. Omnes hi ad unum archetypum sive priscum exemplar referuntur, quod et propter orthographiam et quia a grammaticis [2]) antiquis Horati verba milies exhibentibus usurpatum est, sub finem primi post Chr. sæculi ortum volgo credunt. Huius archetypi errata pleraque omnia in librariorum neglegentiam conferenda sunt, menda ineptis glossis orta sunt rarissima [3]). Quum igitur Horati scripta per septem sæcula (nam antiquissimi, quos habemus, codices nono p. Chr. sæculo extiterunt) omnino fere integra servata sint, quorum primis ars grammaticorum (qui interpolatores fuisse arguuntur) maxime florebat, num vero simile est, contextum intra 60 vel 70 annos paullo post poetæ mortem memoria carminum recenti valde corrumpi potuisse? Tamen huic tam parvo tempori omnes recentiores interpolationum scrutatores adhærescunt putantes omnia tum inserta esse additamenta spuria. Sed etiam de illo quamvis exiguo temporis spatio multa promi possunt ad vitam hypercriticis acerbam reddendam accommodata. Etiam illa ætate haud raro vel commemoraverunt vel imitati sunt vel oratione sua designant et tangunt verba Horati Ovidius, Tibullus, alii. Od. I: 12, 41 repudiavit ipse Hauptius nec non L. Mueller,

---

[1]) Zeitschr. f. d. Alt. Wiss. De his testimoniis in commentatione iam commemorata plura feci verba.

[2]) Exceptis tamen Porph. et Frontone.

[3]) Vide Keller. Epileg. III: 778.

sed commemoravit Quintilianus, Inst. IX: 3, 18. Martialis tangit verba, quæ sunt in initio carminis I: 1, *Mæcenas atavis regibus,* quæ a multis spuria esse putantur [1]), In libro, qui inscribitur apocolocynthosis quique primis Neronis imperii annis a Seneca scriptus esse videtur commemorata est od. II: 13, *ubi iacebat Cerberus, vel ut ait Horatius belua centiceps.* Hic locus autem Gruppio et Ellendtio interpolatus esse videtur, etc. Tali modo interpolationes, quæ feruntur, vestigiis sequi possumus, donec „adeo antiqua fiant, ut ad ipsum Horatium auctorem ascendant“ [2]). Etiam aliæ res sunt aptæ, quibus nimia interpolationes statuendi libido coherceatur. Notum est systematum quaternis versibus constantium præter sapphicum et alcaicum et quædam asclepiadea nullam omnino habuisse notitiam veteres grammaticos. Nostra demum ætate Meinekius et Lachm. primi viderunt, Horati carmina pleraque omnia ita distribuenda esse. Peerlc:o autem hoc ignotum erat, et ob eam solam rem atheteses haud paucæ ab eo factæ reiciendæ sunt. Huc accedit, quod etiam recentioribus temporibus in diversis Horati libris insignes metricæ dissimilitudines indagatæ sunt, de quibus etiam grammatici nihil compertum habebant, quæ tamen in eis, quæ falso inserta esse dicuntur, et in eis, quæ omnes germana esse putant, æque inveniuntur. Quo tandem casu interpolatores (qui, ut supra diximus, grammatici fuisse creduntur) metricas res observarunt, quarum ipsi prorsus erant ignari? [3])

His et aliis rebus prudentissimus quisque adducitur, ut intellegat interpolationes, quæ quidem salvæ ad nostram pervenerint ætatem, paucissimas esse. Si quando profusius extiterunt, initio repulsæ sint, necesse est. Iam autem antiqui diligenter cavisse, ne irreperent, et e Suetoni verbis commemo-

---

[1]) XII: 4, Quod Flacco Varioque fuit, summoque Maroni,
Mæcenas atavis regibus ortus eques, cet.

[2]) W. Teuffel. Die horazische Lyrik und deren Kritik.

[3]) Vide, si placet, quod Waltz. „Des variations“ cet. dixit de od. I: 12, pg. 39.

ratis et e Bergkiano illo fragmento apparet [1]). Cur nihilo minus cupiditas illa interpolationes ubique occultas tamquam nocturnos lemures et larvas videndi tam late vagata sit, diversæ sunt causæ.

Primam et principalem causam in eo inesse puto, quod multi nativam indolem inventionisque felicitatem ostendere gestientes nova et per se inventa promere volunt. De Horatio tam multa scripta sunt, ut iam ante Bentleium plurima, quæ ad historiam, mythologiam, mores antiquos, cet. spectabant, tractata essent, adeo ut perpauca restarent digna, quæ adderentur. Itaque Bentl. ea sola attigit, quæ ad sanitatem sinceritatemque lectionis pertinebant. Peerlc. eandem viam ingressus coniecturis verborum contextum emendare decrevit, sed cum suo dolore vidit Bentleium hanc materiam præoccupavisse [2]). Tum vero interpolationes speculari instituit, qua in re multos nactus est imitatores, quorum tamen ingenio, acumine mentis doctrinaque nemo eum æquavit. Ita ingens campus strenuorum hominum industriæ apertus erat, nam quum hypercritici fide historica et probabilitate spreta „intestinis argumentis“ utantur, h. e. talibus, quæ in arbitrio et sensu ipsorum posita sunt, sequitur, ut quot sunt critici variæque eorum opiniones, tot etiam mutandi rationes proponi possint. Ista igitur critices materia inexhausta est et infinita.

Alia vero est causa, quod Horatium ad summam pulchritudinis speciem pervenisse putant. Quum autem singularem illam summæ perfectionis imaginem alii aliter animo et cogitatione concipiant, diversis modis maculas eluere conantur, quibus imperitorum manus eam inquinasse eis videntur. Hinc etiam Peerlcampi, Lehrsi, Gruppi [3]) aliorum discordia intellegitur.

---

[1]) „On ne peut dont pas s'étoner, qu'une tentative d'interpolation du temps de Suétone ait eu si peu de succès, qu'aucune trace n'en est arrivée jusqu'à nous“ (Walz. p. 55).

[2]) Peerlc. præf. pg. III.

[3]) Gruppius, qui sua arte tot carmina ad fragmenta e duabus sæpissime strophis constantia redegit, Horati virtutem putat maxime cerni in re, quam

Deinde hypercritici nonnulli, ut Lehrsius et Gruppius (et inter moderatos Meinekius), priusquam Horatio operam navarent, in talibus græcorum scriptis recensendis versati sunt, quorum membranæ et interpolationibus et alio modo erant corruptissimæ. In promptu est suspicari hoc magnum etiam ad Horatium iudicandum momentum habuisse, cuius tamen libri msti integritate eis longe præstant, quibus antea operam dederant. Ipse Keller, qui sibi persuasum habet, in Horati libris examinandis omnia nobis necessario conservanda esse et uno tantummodo alterove loco confitetur, fieri posse, ut falso inserti sint versus (Sat. I: 2, 13, Epist. I: 1, 56), tamen nullo modo credit talem criticam rationem in omnibus antiquorum scriptis recensendis rectam esse.

Alia causa, cur multa vituperatione digna invenire sibi viderentur nonnulli, erat, quod aut ad Horatium recte percipiendum paullo tardiores erant ingenio, aut nimis prosaicam verborum accurationem a poeta postulabant. Hoc, quod postremum diximus, in Bentleio quoque, critico celeberrimo, iure animadversum est, qui coniecturis maiorem perspicuitatem efficere conatus est, et multo magis in Peerlcampi scriptis eminet. Ut enim nauta sidus habet, quo duce fretus cursum suum dirigit, ita Peerlc. illam iam a Suetonio laudatam perspicuitatem horatianam sibi sequendam proposuit, et ubicumque poeta obscurius scripsit, quam si soluta oratione usus esset, Peerlc. captiosas protulit reprehensiones. Captiones eius et argutias sæpe videbimus [1]). Sed ante omnia omnes fere hypercritici leporem et festivitatem non intellegunt. Ubi poeta iocatur, ibi frontem hi viri contrahunt et meram severitatem gravitatemque videre volunt, quod ubi fieri non potest, interpolatorum impudentiam latere suspicantur. Kellero, qui hanc rem iure animadvertit [2]), Gruppius opponit, mirum esse eum primum

---

appellat „Klein- und Fein-meisterei. Es sind, inquit, erlesene Cabinetstückchen von der zartesten Arbeit, vielleicht am besten zu vergleichen mit den geschnittenen Edelsteinen, den Onyxen". (Min. 407).

[1]) „Ueberall Mäkelei und Wortklauberei, Ueberzeugendes nichts" (Schuetz.)

[2]) M. Rh. 1864.

hoc invenisse, Bentleium autem et Lambinum cæcos fuisse [1]). Sed licet mille homines ante Kellerum hoc non viderint, tamen nemo hodie infitiabitur Horatium etiam in carminibus fuisse facetum leporeque abundantem poetam, hasque facetias maxime in eroticis et symposiacis h. e. suavissimis et optimis eius carminibus inesse. Quas si non intellegemus, facile multa mala et perversa inveniemus („gedrechselt, verschnörkelt, barock, überladen, übertrieben,“ cet.).

Denique multi eorum, qui nihil interpolatum esse credunt, hypercriticis duabus maxime rebus nolentes opem tulerunt. Altera est magna eorum fiducia. Eo enim sæpe artificio utuntur, ut hæsitationes dissimulantes tum maxime sibi confidentes videantur, quum re vera minime sunt, quo maiorem opinioni suæ fidem concilient. Homo modestus, qui legit, viris doctissimis adversari non ausus suam ipsius tarditatem causam esse arbitratur, cur quam eximia omnia sint non intellegat. Talis fiducia quanto opere Horatio nocuerit, dici vix potest, nam ea ipsa maxime hypercriticam illam rationem concitasse videtur, quæ diu grassata est [2]). „Ubi ego,“ inquit Peerlc. [3]), “saxa et salebras, hi planum iter et amoenum, ubi ego meras tenebras, hi solem meridianum“ cet. Deinde etiam multi hypercriticis animum addiderunt ipsi in coniecturis faciendis contextum nobis traditum non qua par erat pietate tractantes. Non est dubium, quin Bentl. multis locis coniecturis membranas emendaverit, aliisque locus Horatius melius facturus fuerit, si modo a Bentleio proposito scripsisset, sed etiam multis locis coniecturas fecit, ut magnam doctrinæ copiam, singularem ingenii fecunditatem, sagacitatem, divinandi peritiam ostenderet. Peerlc. coniecturis operam minus dedit, deque eis, quas fecit, aliquot optimæ sunt plurimisque editoribus probatæ. Præterea — quot et supervacaneæ et inutiles factæ sunt! Ut exemplum sumam, Unger, vir doctissimus idemque hypercriticis infestis-

---

[1]) Aeac. 43.

[2]) Cfr. quæ dicemus ad III: 20, 8.

[3]) Præf. pag. V.

simus, coniecturarum prompsit centuriam, quarum mihi quidem duæ saltem partes aspectu primo improbandæ esse videntur. Qui autem tam neglegenter contextum horatianum tractant, hypercriticis ne suo modo eum mutent graviter interdicere non possunt.

Horatiani critici et in coniecturis faciendis et in statuendis interpolationibus moderatissimi esse debent.

Hinc nullo modo efficitur, ut coniecturæ interpolationumque indagationes prorsus sint spernendæ, dum earum modicus fiat usus. Difficillimum enim etiam est hyperconservativam criticam rationem adhibere, id quod e Kelleri exemplo satis apparet. Is diuturna codicum collatione librum archetypum restituere conatus est in crisi horatiana posthac prope supervacanea eandem potestatem habiturum, quam olim habuere tyranni, sed difficultatibus non solvendis implicatus est. Archetypus ille codex talem adversariorum factionem omnino frangentem et debilitantem auctoritatem nancisceretur, si 1) usque ad Horatium ipsum ascenderet et 2) singulæ quæque eius lectiones certo investigari possent. Quarum conditionum neutra expleta est. De tempore archetypi iam diximus. Quod ad lectiones attinet, Keller multo cum sudore codd. in tres classes [1]) dividere conatus est, quæ suffragio de fortuna lectionum decernerent. Omnes vident, quam periculosum et iniustum tale plurimorum imperium sæpe sit. Sæpissime autem ne hac quidem via quamvis misera ad finem optatum pervenire licet. Keller in epilegomenis [2]) 676 ex. conquisivit, ubi codd. in tres classes dividere licet, sed mille sunt exempla, ubi tale classium discrimen non cernitur. Keller ipse concedit [3]) ne unum quidem codicem ad certam classem semper pertinere, omnes autem nunc huc nunc illuc inter diversas classes vacillare. Quæ quum ita sint, quænam fit criticæ eius rationis summa, nisi simplex illa, ut L. Mueller etiam dixit [4]): ubi diversæ extent

---

[1]) Semel duas habere voluit, M. Rh. XXXIII, 127.

[2]) III: 813 sqq.

[3]) ibm. 792, alibi.

[4]) In ed. anni 1879:i, præf. pag. VIII.

codicum horatianorum scripturæ, sequendum plerumque optimorum maiorem numerum? Nihilo minus Keller in præstantissimos philologos (Bentl., Lachm. cet.), qui cod. V. (blandinium vetustissimum) magni æstimabant, invehitur, quod quum cod. V. inter tres illas classes vacillaret, „eclecticismo" se astrinxerint [1]). Quum autem ipse concesserit, omnes codd. vacillare, quum sæpe deterrimorum codicum (ad tertiam, quam vocat, classem maxime pertinentium) lectiones [2]) atque sæpe etiam meras coniecturas in contextum receperit [3]), quæ tandem in lectionibus elegendis est recta critica ratio nisi prudenter adhibitus „eclecticismus"? Talis vero elegendi venia Kellero soli reservata non est.

Sed ad hypercriticos redeamus. Vidimus, eorum opinionem, qui credant, magnam odarum partem falso esse insertam, in contextus horatiani historia testimoniisque extrinsecus petitis parum habere subsidii. In singulis tertii libri locis examinandis intestina, quæ vocantur, argumenta maxime inspiciemus, quæ non plus quam externa valere puto. Præcipue discordiam eorum observabimus, ad quam ostendendam etiam hic Gruppius maxime videtur esse accommodatus. Peerlc., cui moderati critici ut Meinekius & L. Mueller amplissimas tribuerunt laudes, in Gruppi libris acerbæ vituperationi sæpe subiectus est. Lehrsium hypercriticum sodalem aperte monet, ut fines et quasi terminos ingenii indolisque cognoscat, neve extra vagetur [4]). „Tales", inquit, „homines in hostium acie videre malo. Quid enim adversarios magis firmare potest, quam eorum præmatura festinatio et errores, qui nos adiuvare sibi videntur?" Legentibus hæc nobis et cogitantibus, quot temere dictis erroribusque ipse se obstrinxerit, difficile est satiram non scribere. Inconstantia [5]) eius iam inde apparet, quod in initio libri, qui

---

[1]) Epileg. 803.

[2]) Cfr. Epileg. pag. VIII.

[3]) Non semper eum hoc sapienter fecisse arbitrantur e. gr. L. Mueller in præf. iam commemorata et Nauckius in præf. editionis 10:mæ.

[4]) Aeac. 122.

[5]) Cfr. Teuffel. Lit. Hist. 424 sqq., ubi eam omnibus hypercriticis dat vitio.

inscr. Aeacus, pag. 35, interpolationes universas magna calliditate et astutia („mit schlauem Sinn“) esse factas dicit, ut sermonis vitia non sint expectanda, nedum pravæ sententiæ („Unsinn des Inhaltes“), idem tamen innumerabilibus pæne dicam locis nullam calliditatem neque bonam sententiam, sed omnia perversa, absurda, inepta videt (blödsinnig, albern, unsinnig, verdreht, thöricht, lächerlich, cet.). Magnum conviciorum acervum e libris eius aliorumque hypercriticorum congerere poteris. Atque hic veniam petendi locus est, si quid *pro Horatio* dicens asperius disputasse videor, quod cum eis si contuleris, quæ alii *contra Horatium* dixerunt, nihil erit. Hypercritici doctissimi fuerunt viri, sed sanæ menti humanæ plus tribuendum esse mihi persuasum habeo, quam omnium hominum doctrinæ. Crisis horatiana, si interpolationes multas istas, quæ inesse creduntur, spectes, homini post nimium laborem „exhausta utiliter quærendi materia“ insueto otio senescenti et ægrotanti similis est. Ad vitam sustentandam valetudinemque restituendam aspera remedia adhibenda sunt. Multorum autem et celeberrimorum philologorum mos est, ut hypercriticorum temeritatem refutatione indignam habeant. Sed tali modo doctorum virorum opinionem silentio obruere et opprimere non licet. Qui rationibus pugnant, rationibus et argumentis vincendi sunt.

I—VI.

Prima sex carmina, ut primo aspectu videmus, arte inter sese conexa sunt. Omnia enim didactica et ethica sunt et idem habent metrum atque ita continuantur, ut initium uniuscuiusque carminis cum extrema parte carminis præcedentis cohæreat. Qua re commoti fuere, qui crederent, unam esse continuam odam. Ita Porph. credidisse videtur et Diomedes in libello suo de metris horatianis od. septimam huius libri secundam appellat. Od. 2 cum od. 3 in nonnullis codicibus cohæret, inter quos teste Cruquio etiam fuit cod. bland. vet., ut ne maiore quidem et ornatiore litera inter hæc carmina intercedat discrimen. His temporibus hypercritici quidam eandem habuere opinionem, quæ tamen sine dubio falsa est. Tale enim carmen longissimum monstrum esset, cui apud Horatium nihil esset simile nec secundum, atque Horatius ipse in prima primæ odæ stropha dixit se non *carmen* sed *carmina* scripturum esse.

Hæc carmina, quamquam lyricam naturam non omittunt, gnomica et sententiosa sunt. Perspicuum est inter eiusmodi carmina conexum sæpe laxum fieri transitusque inter diversas sententias (γνώμας) paullo abruptiores interdum videri [1]). Quæ quum ita sint, hypercriticis facillimum fuit magnas partes excerpere spuriasque pronuntiare. Suo quisque modo poetam

---

[1]) Cfr. Porph. ad od. III: 1 „hæc ode multiplex per varios diducta est sensus“.

corrigere conatur omniumque conspiratorum labore carmina simillima fiunt urbi ab hostibus vastatæ et funditus deletæ, ex qua ruinæ solæ restant antiquæ magnificentiæ revocantes memoriam, in quibus si vv. III: 1, 1—4 inscribas, nobis vel invitis cum Peerlc:io in mentem venit illud parturiunt montes.

Ut a Peerlc:io incipiamus, is harum sex odarum ruinis novum extruxit ædificium, quod appellat „carmen gnomicum longissimum" et in appendicula libri sui formis describendum curavit, ad quod in priore editione etiam strophas nonnullas carminis III: 16:i ne eodem metro quidem scripti addiderat. Varium vero et mixtum turbatumque est opus. Violentissimas atheteses et transpositiones usurpavit. Ut post str. 2 carminis 1:mi posuit str. 1 c:is 5, post str. 4 c:is 2 str. 2 c:is 5, post str. 14 c:is 5 str. 5 c:is 2, cet. Quæ omnia propterea fecit, quod in codicum carminibus nexum sententiarum non intellexit, ipse autum hunc nexum ne hilo quidem meliorem sæpe vero deteriorem fecit [1]). Aeque magna fides habenda est, si quis Peerlc:i carmen gnomicum longissimum eodem modo tractare velit, quo ipse codicum odas vexavit — donec nihil ex horati carminibus restet.

Gruppi Minos primo de Peerlc:io queritur, neque se posse ignoscere dicit, quod mutilaverit pessumque dederit pulcherrima carmina, transpositiones autem rarissime admittendas hoc loco quum inutiles tum periculosas esse, Peerlc:ium tamquam corruptorum sodalem et satellitem, quidquid falso insertum sit, Horatio ascribere, cet. Misericordiam deinde legentium movet commemorans, quantas exanclaverit ærumnas et labores, antequam rectam rationem inveniret. „Longis," inquit, „et deviis itineribus erranti mihi ad finem optatum sæpeque desperatum vix tandem contigit ut pervenirem. Quamvis multa expertus germana Horati verba tanta astutia abscondita esse numquam credidi." Minos opinatur prima tria carmina principio unum fuisse ex od. 1 vv. 17—22, od. 3 vv. 7—12 compositum, quin-

[1]) Vide Schuetzium pgg. 253—256.

que igitur strophas esse germanas, 33 spurias. (In longo illo tertio carmine ex 18 str. composito sesqualtera stropha fit germana, reliqua omnia abiciuntur). His quinque strophis valde delectatur, quod sint summo artificio factas. "Restitutionem" suam certissimam esse putat („völlig sicher").

Aeacus gaudio fratris non lætatur. Peerlc:i sententiæ magis accedens e fragmentis primarum quattuor odarum carmen gnomicum finxit, quod e 16 strophis constat. 42 strophæ exturbantur. Qua re putat se carmen servasse, quod inter pulcherrima, præstantissima, subtilissima habendum sit. "Duo," inquit, „annorum fere milia præterierunt, priusquam sartum est detrimentum".

Numquam hypercritici maiorem quam in his carminibus perturbationem confusionemque creaverunt, neque umquam magis infirma seu potius nulla fuerunt eorum argumenta. Quamvis contrarii inter sese sint Minos & Aeacus, tamen Gruppius putare videtur imperiosa utriusque decreta velut mathematicorum axiomata argumentis omnibus carere posse. Ut dicit hanc vel illam stropham abigendam esse, *quamquam* sit pulcherrima, nullam præterea causam afferens, cet. Maxime mira sua et commenticia sententia legentium tempus terit, qua credit complures corruptores ad interpolandum operam contulisse et ostendere conatur, ubi alius finiverit, inceperit alius, dum hæc plaga pertexeretur, qua tam diu homines irretiti sunt. Simili ratione Prienius egit. Quasi positum sit et concessum suam quodque carmen stropham et antistropham habere, pro argumentis odas III: 1—3 decurtatas et castigatas formis excudit ipsas pro se tacentes clamare putans. Interdum sine ullo labore rem ita expedit, ut primæ strophæ carminis stropha fiant, quæ proxime sequuntur antistropha, reliquæ abiciantur. Ut in carmine huius libri quarto e str. 2—6 finxit stropham, e str. 7—11 antistropham, reliquas novem repudiavit. — Minos c. 5, Prienius c. 5 et 6 silentio præteriit, sive quod nihil invenerant dignum, quod reprehenderetur, seu quia nubes et inania captando defatigati erant. Quo factum est, ut hæc carmina minore quam cetera

damno afficerentur. Excipientibus nobis ea, quæ Peerlc., Lehrsius, Aeacus deleverunt, e 26 strophis 13 servatæ relinquuntur. In primis autem quattuor carminibus, postquam Peerlc., Minos, Aeacus, Lehrsius, Prienius, excisiones suas fecerunt, e 58 strophis tres solæ restant, quæ sunt hæ:

III: 1, 9—12. Est ut viro vir latius ordinet
Arbusta sulcis, hic generosior
Descendat in campum petitor,
Moribus hic meliorque fama

III: 1, 13—16. Contendat, illi turba clientium
Sit maior: æqua lege Necessitas
Sortitur insignes et imos;
Omne capax movet urna nomen.

III: 2, 21, 22. Virtus, recludens immeritis mori
Cælum, negata temptat iter via,
III: 3, 5, 6. Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ [1]).

Crediderim hypercriticos hic omni fide ipsos se privasse. Contra Gruppium saltem et Prienium defendere Horatium et supervacaneum esset, neque magis prodesset, quam si quis in aqua fundamenta ponere vellet.

Vv. III: 1, 33—40 præter Peerlc:ium, Gruppium, Prienium, Linkerum Meinekius quoque respuit. Quarum duarum stropharum una (vv. 37—40) sine dubio servata esset, nisi cohærentia obstitisset. Peerlc. confessus est hos versus et sonoros esse et elegantes et venustos. Sed cum eis, quæ præcedunt, ita cohærent, ut una cum eis cadant, necesse sit. Revocant hi versus versuum II: 16, 21 sqq. memoriam, sed eius rei permulta sunt apud Horatium exempla [2]). Offenduntur autem philologi iam nominati verbis, quæ sunt *contracta pi-*

---

[1]) Hæc duo versuum paria et Minos et Aeacus ad stropham complendam componunt.

[2]) Vide de hac re Teuffeli libellum „Ueber Horaz“.

sces æquora sentiunt, quod hyperbolam, ut aiunt Græci, magnam contineant quodque pisces sentiant frigus, calorem, tempestatem, non sentiant æquor contrahi propter ædificia romana. Tamen hæc quoque respuendi causa in opinatione hominum sane quam varia magis quam in ratione omnibus probanda posita est. Antiquiores enim interpretes longe aliam habebant sententiam de his versibus. Ut Lambinus, eleganter, inquit, et venuste pisces ait sentire maria fieri contractiora, et Dacierius: Hæc sententia est nobilissima: contracta pisces æquora sentiunt [1]). Sed ubicumque hoc modo opinionem opinioni licet opponere, ibi probandi vis tenuis est parumque ad persuadendum idonea.

Hyperbolæ sive veritatis superlationes [2]) non modo apud omnes omnium temporum poetas, sed etiam apud prosæ orationis scriptores plurimæ inveniuntur. Pauca huic loco similia exempla huc trahemus. Sall. Cat. 13, 1 *a privatis subvorsos montes maria constructa,* 20, 11 *in extruendo mari et montibus coæquandis.* Cfr. od. II: 18, 22; od. III: 24, 3, ubi hyperbole etiam maior est: *cæmentis licet occupes tyrrhenum omne tuis et mare apulicum.* Hoc certe etiam pisces sentirent, necesse erat, quippe quibus ne vivendi quidem spatium esset relictum. Atque quum sæpissime poetæ res brutas et inanimas sentientes cogitantesque et loquentes inducant, quid ni pisces sentientes facere liceat? In epist I: 1, 84 lacus et mare sentit amorem festinantis eri.

Quod dicunt harum stropharum sententiam cum eis, quæ præcedant et sequantur, non cohærere, Lehrsius docuit hoc esse iniustum. Ceterum, ut iam diximus, æquo animo ferendum est, si in his gnomicis carminibus laxus est nexus, quem ne athetesibus transpositionibusque mutemus, Peerlc:i et Gruppi ad deterrendum accommodato exemplo satis admonemur.

Vv. III: 3, 21—24 Lucianus Mueller in ed. anni 1882:i uncis appositis a reliquis seclusit. Additos eos esse putavit

[1]) „Cette expression est fort noble, les poissons sentent les mers retrecies“.
[2]) Cic. de Or. III. § 203.

ab aliquo, qui nesciret vertendi verbum evertendi significationem habere. Sed nimiæ audaciæ mihi esse videtur tantum inscitiæ infuisse credere in homine, qui stropham haudquaquam mendosam potuit scribere, quæ antiquis ipsis a celeberrimo poeta romano scripta esse videbatur, ut cognitum non haberet significationem vertendi verbi, quæ persæpe apud scriptores occurrit, quorum volumina legentium usu maxime terebantur, ut apud Verg., Ovid., Tac., Cic., cet. In pulverem vertere autem ex homerico verbo ἀμαθύνειν conversum est [1]).

Aliam cur eiceret causam Mueller attulit nullam, sed suspicari licet animo eius obversata esse ea, quæ Peerlc. ad h. l. annotavit, quæque primo aspectu iusta esse videntur. „Cur Iuno“, inquit, „potissimum et Minerva fraudem Laomedontis detestantur? Iniuria pertinebat ad Apollinem et Neptunum“. Primum omnium equidem cum Porphyrione aliisque nonnullis credo *mihi damnatum* (s. *damnatam,* ut Bentl., Lachm., Meinekius, Hauptius, alii legunt) idem valere quod *a me damnatum* [2]). Deinde nobis licet cum Rittero explicare: deas non tam suam iniuriam ulcisci quam iniustitiæ sedem odio persequi. Nam illæ deæ pariter atque ceteri dei deæque ob violatam iustitiam de perfidia troianorum et Laomedontis iratæ sunt. Postea, quum Paris nova contumelia eas affecisset, inveteratum odium redintegratum est. Sed enim alia magis propria et quasi domestica causa erat, cur his potissimum deabus deorum fraudatorum res cordi essent. Est enim antiqua fabula sine dubio Horatio notissima Iunonem, Minervam Neptunumque olim conspirasse ad Iovem e cælo regnoque turbandum [3]). Quarum insidiarum ut poenas daret, Neptunus a Iove cælo expulsus est. Illo laborum tempore Neptunus et Apollo (et is exsul) moenia Troiæ ædificaverunt, quo facto mercede decepti sunt. Quæ quum ita essent, fieri nimirum non

---

[1]) Il. IX: 593 πόλιν δέ τε πῦρ ἀμαθύνει; ἄμαθος = pulvis, arena.

[2]) Dömdt af mig, non: tilldömdt mig. Scire velim, ubi „damnare alicui aliquid“ significet tilldöma ngn ngt.

[3]) Hom. Il. I: 399 sq.: ὁππότε μιν ξυνδῆσαι Ὀλύμπιοι ἤθελον ἄλλοι, Ἥρη τ' ἠδὲ Ποσειδάων καὶ Παλλὰς Ἀθήνη.

potuit, quin Iuno et Minerva magis quam reliqui dei deæque misericordia flecterentur magisque ob iniuriam infelicibus sociis et sodalibus illatam irascerentur. Postea ignem sopitum denuo suscitavit „spretæ iniuria formæ“.

In stropham III: 4, 69—72 velut agmine facto irruunt multi et doctissimi philologi Buttmannus, Luebker, Linker, Peerlc., Meinekius, Prienius, Hauptius, Lehrsius, Gruppius, Schuetzius, L. Mueller. Contra quos omnes pugnare temeritatis esse putarem, nisi cognitum haberem in his criticis rebus diversissima esse præstantissimorum hominum palata.

Verba, quæ sunt *testis mearum sententiarum,* prosam orationem redolere et viris iam nominatis et Wickhamio aliisque candide concedendum est, sed etiam Gu. Teuffelio concedamus ieiune, frigide, sicce dicta haud raro apud Horatium inveniri [1]). Pertinent autem hæc Horati verba ad grande illud dicendi genus, quæ non tam nobis quam romanis placebat.

Ex eis, quæ præterea ad vituperandam stropham attulerunt, multa sunt vilia. Ut adiectivo *virginea* pro subst. *virginis* offenduntur. Sed adi. maiore poetica suavitate est imbutum quam genetivus. Atque ne huc trahamus ex., qualia sunt apud Hor. *herculeus, hectoreus,* in ex. huic loco similibus adi. *virigineus* persæpe apud poetas occurrit, ut Propert. II: 1, 69 *virgineæ urnæ* (= danaidum), Lucan. Phars. V: 142 *virgineus focus* (= vestalium), Ovid. Fast. IV: 731 *virginea ara*, cet. (Cfr. virgineus voltus, comptus, pudor, v-a facies, forma, aqua, cet.). Neque eis placet *temptator,* quod est ἅπ. εἰρ. Talia autem Hor. permulta usurpavit atque sex nova subst. in *-tor* desinentia finxit, quorum quinque sunt in scriptis a poeta nostro summa arte elaboratis: *plausor* (epist. II: 2, 130, A. P. 154),

---

[1]) „Wenn prosaisch, so mag das Hor. verantworten,“ Schuetzius p. 357. „Si chacun se mettoit en droit de coriger tous les vers des poëtes, qui lui paroissent prosaïques ou mal cadencés, nous n'aurions plus rien d'assuré dans les poésies des anciens. Tout seroit abandoné aux vetilleuses fantaisies du plus médiocre grammairien“, Sanad. ad III: 6, 11. Cfr. L. Mueller, Lit. Hist. Biogr. p. 119 aliosque.

promissor (A. P. 138), *provisor* (A. P. 164), *dilator* (A. P. 172), *risores* (A. P. 225) [1]).

Etiam pluralis forma *mearum sententiarum* reprehenditur. Proximarum enim stropharum fabulæ nullas continent sententias (γνώμας) et in stropha, quæ proxime antecedit, una sola inest sententia, quam veram esse *centimanus Gyas* (s. *gigas,* quam lectionem archetypi codicis haud dubie fuisse Keller ad od. II: 17, 14 ostendit) monstrare debet. Sed pluralis numerus h. l. generali vi præditus esse videtur, quales plurales usurpantur, quum ad significandum genus totum insigne huius generis exemplum nominatur [2]).

Denique dicunt ea, quæ versibus 65—68 contineantur, versibus 42—64 satis comprobata confirmataque esse. Hanc igitur stropham et supervacaneam esse et molestum habere reditum ad absolutam iam gigantum mentionem. Rectissime vero observavit Dillenb., etiam si hæc stropha repudietur, tamen restare in reliquis invisam istam gigantum mentionem (Iniecta monstris terra dolet suis, cet.). Quamobrem aut hæc stropha retinenda est, aut reliquæ quoque in eandem cladem trahendæ sunt. Testimoniis extrinsecus assumptis stropha optimis fulcitur. Porph. eam novit. Centimanus gigas commemoratus est a Prisc. XVII: 152 *Horatius: testis mearum sententiarum;* id. VI: 84 *Orion quum vellet cum Diana concumbere, ut Horatius ait, eius sagitta occisus est.* Horati verba etiam exhibet Serv. ad Aen. I: 535. Itaque Serv. et Prisc. præstantissimus uterque grammaticus et antiquarum literarum existimator intellegens diserte testantur stropham esse Horati, ac ne suspicantur quidem eam esse spuriam. Quamobrem nescio an sit, quod ne nos quidem eam spernamus.

Hi sunt primarum sex odarum loci, quos moderati critici in dubium vocaverunt. Hypercritici vero quousque progressi sint, iam cognovimus. Quos in levissima quaque re refellere

---

[1]) Vide Waltz. pag. 66.

[2]) „Solcher Ansichten, einer Ansicht wie ich sie hier aufgestellt habe", Nauck. Cfr. III: 5, 52 reditus, III: 27, 38 virginum, cet.

neque operæ pretium est et tædii plenum esset. Opera eis danda tempus terere eo magis supersedemus, quod Schuetzius plurima eorum dicta dilegentissime examinavit et vehementissimis verbis improbavit [1]). Omnia autem tractare ne is quidem toleravit. Laxa partium cohærentia maxime stomachati sunt. Sed licet de hac re Lambini verba commemorare: „Est," inquit, „poetarum tamquam spiritu divino afflatorum et mentis agitatione concitatorum non semper in proposito sermone hærere, sed ad alia nonnumquam aberrare sententiaque longe a principio diversa carmen concludere, cuius rei ex. sunt in od. II: 13, I:7 & 3 et alia multa; apud Pindarum autem quam plurima„ [2]). L. Mueller: „sententiarum", inquit, „nexus in carminibus Horati (præter erotica et symposiaca) aliquando tenues nec solvi metuentes esse sat constat. Hinc est quod dicit Quintilianus nolle se in quibusdam interpretari Horatium".

VII.

Quin germanum sit totum hoc carmen, nemo criticus dubitavit. Nam quod legimus apud Gruppium, Æac. pag. 570 postremas duas strophas esse spurias in od. III: 7, sine dubio errore typothetarum ortum est pro od. II: 7.

---

[1]) „Willkürlich, bunt und kraus, monströs, albern, ungeheuerlich, unbegreiflich, kleinlich, spitzfindig, lächerlich, pedantisch, unverständlich, wunderlich, überall Mäkelei und Wortklauberei, Ueberzeugendes nichts, das ist nicht eine Rettung, vielmehr eine Zertrümmerung."

[2]) „Wass müsste man dem Pindar Alles rauben, wenn man ihn in das Prokrustesbett des sogenannten inneren Zusammenhanges spannen wollte?" Schuetz.

VIII.

Hoc carmen valde est vexatum a criticis. Iam Guietus ille, si Sandono credimus, postremam stropham sustulit et inter recentiores Meinekius et Linker eius secuti sunt exemplum. Peerlc. totum carmen repudiavit atque Gruppi Minos et Aeacus et secum et inter se consentientes idem faciunt. Lehrsius solos vv. 25 et 26 insanabiles putavit. Præterea mutationibus valde dubiis et suspectis carminis difficultates quasi scopulos evitare conatur. Quæ contra carminis integritatem dici possunt, omnia a Peerlc:o dicta sunt. Gruppius etiam argumentum historicum et „externum" ostentat, ex quo credit apparere carmen esse spurium (Min. 74, sqq, Aeac. 50). Dicit enim carmen a Diomede in libello de metris horatianis non esse numeratum. Alia testimonia non curat. Carmen numeratum est a Mario Victorino et commemoratum præterea a præstantissimis grammaticis, ut Prisciano, Donato ad Terent. eunuch. III: 2, 25, Serv. ad Aen. VIII: 638. Constat Diomedem in metris enumerandis neglegentem fuisse atque carmina, quorum oblitus sit, persæpe non eadem esse, quæ hypercritici damnaverint. Gruppius ipse confitetur interpolationes multo ante Diomedem factas esse sive paullo post Horati mortem et grammaticorum tempore scripta Horati talia esse, qualia etiam nunc restent. Quæ quum ita sint, quid attinet neglegentis metrorum ratiocinatoris auctoritate niti?

Proinde id quod a Gruppio hac de re obiectum est nihili esse putemus. Videamus, quid alii viri doctissimi protulerint.

In explicandis verbis *docte sermones utriusque linguæ* editores magnopere sudarunt. Primum omnium, si formam consideramus, ambigitur, utrum legendum sit *sermones* an *sermonis*. Plurimi codd. hoc habent, plurimæ editiones atque codd. „primæ classis" cum Donato & Porph. nobis illud obtulerunt [1]).

---

[1]) Hoc loco Keller causam sibi invenisse videtur, cur Cruquio fallaciam crimini daret, id quod magna contentione dicit in mus. Rhen. 1863, 282 &

Deinde interpretatio horum verborum valde est difficilis. Neque enim constat, quid significent, neque quid in hoc verborum

Epileg. I: 221, II: 293. Quæ res quum in crisi horatiana magni sit ponderis, non alienum fortasse erit, eam paullo copiosius examinare. Cruquius, ut notum est, codd. nonnullos legebat, quos appellabat blandinios, quosque magni æstimabat, præcipue „Blandinium vetustissimum“. Hi codd. postea una cum claustro, in quo asservabantur, ab iconoclastis combusti sunt, quare exceptis eis, quæ Cr. indicat, quinam fuerit eorum contextus nescimus. Nihilo secius inter recentiores doctissimus quisque, ut Hauptius, Meinekius, cet., in contextu Horati librorum constituendo eis pro fundamento usus est. Quum autum iam non extent, perspicuum est, eorum pretium in fide Cruqui esse situm; quam Keller acerrime convellit, iniuria, ut puto. Iam de exemplo quarti libri alio tempore disseruimus, ubi auctoritas Cruqui a Kellero etiam impugnatur. Ibi tamen Cr. facile defenditur, nam quartum Horati carminum librum separatim edidit, antequam iconoclastæ codd. eius incenderent. Quæ quum ita essent, magnæ sane stultitiæ fuisset lectiones codicum ementiri, quos cuique pervolutare liceret et ad quos laude sua omnium futurorum criticorum oculos converteret. Tali re ipse sui ridendi materiam præbuisset. Ne hoc quidem loco puto Cr. ullam commernisse culpam. Cr.: *„sermonis,“* inquit, *„in bland. codicibus per I maiusculum scriptum est, quod fere vel -eis vel -es notat; ceteri scripti habent sermonis.* Keller dicit *Is* in eiusmodi vocibus numquam scriptum esse pro eo, quod est *es*. Quum autem hoc loco *es* opus esset, Cruquium illud *Is* finxisse. Licet Cr. erraverit dicens *Is* notare *es*, tamen verba Kelleri male inter se cohærere, quis non videt? Nam si Cr. fingere voluisset, statim finxisset *es*. Hæc res minime impedire potest, quominus in codd. bland. fuerit *Is*, ut in multis aliis codd. est *is*, quum præsertim Keller ipse concedat I sæpe etiam in libris literis minusculis scriptis pro i et longa et brevi inveniri. At, inquit K., genetivus casus tum esset, quod fieri non potest, nam doctus numquam cum gen. coniungitur. Hæc res autem ita es habet: *Doctus* quamquam persæpe in scriptis Horati inest, tamen nusquam aliam vocem regit, nisi hoc loco, ubi lectio dubia atque incerta est, et in proxima od. III: 9, 10 *dulces docta modos. Indoctus* autem cum gen. coniungitur AP. 380 *indoctusque pilæ, discive, trochive quiescit.* Syllaba *is* brevis illa quidem est, sed exempla, ubi pro longa adhibetur, apud Horatium non desunt. Quum autem *-is* in codd. II & III classium, *-es* modo in codd. I classis sit, Keller, si suum de codd. adhibendis præceptum constanter sequi vellet, *-is* commendare debuit.

Ex eis, quæ iam diximus, collegi arbitror illud -Is per I quadratum scriptum perfacile in codd. blandiniis esse potuisse neque hoc quidem loco esse, quod Cruquium mendacii accusemus. Suam quisque de codicum blandiniorum pretio opinionem habeat, neque tamen quisquam nisi gravissimis argumentis commotus mortui hominis memoriam fraudis crimine maculare debet.

nexu faciant, liquet. Ritter et Dillenb. putant *sermones* significare *literas* (literatur), quod non facile fieri potest, quia sine exemplo est. Bentl. coniecit *Cilni* pro *linguæ*, quod tamen parum placet, nam neque *Cilni* simile est *linguæ* vocabulo, neque Hor. in carmine eodem eundem hominem diversis nominibus alloqui solet. Eam ipsam ob rem editores in IV: 2, 2 Peerlc:i coniecturam *ille* pro *Iule* acceperunt. Vult etiam vertere *tu, qui et latinorum et græcorum libros accurate legisti.* Et hæc et quæ alii proposuerunt molesta & longe petita videntur. L. Mueller in editione germanis annotationibus instructa gordium nodum apposita cruce quasi gladio solvit et verba corrupta esse arbitratur. Codd. tamen nullam omnino causam præbent, cur ita putemus. Nescio an Schuetzius recte dicat poetam iocose alludentem rem aliquam significare, quam nos ignoremus. Talis iocus quum fortasse post paucos annos ipsis Mæcenati et Hor:o subobscurus fuerit, quid mirum, si nos tam longo temporis spatio interiecto quid sibi velit non satis aperire possimus?

Vocem *funeratus* insolitam hic habere significationem, non magis est, cur miremur apud Hor:um „verborum novatorem“. Eandem præterea vim habet apud Petronium.

Utrum *consule Tullo* significetur L. Volcatius Tullus, consul a:o 33, an pater eius, diiudicari nequit. Res autem tam levis nullo modo causam continet, cur totum carmen deleamus.

Sine omni iure Peerlc. verba *sume cyathos centum* ægre tulit. „Sobrium hominem,“ exclamat P., quasi hoc serio dictum sit! Quasi Hor. iocari non potuerit! Horati iocationes cavillationesque prorsus ignoret, necesse est, quicumque superlationem dedita opera factam in his verbis inesse non intellegit. Quod si quis nihilo minus mutare vult (quod necessarium non est), P:i coni. *septem* haud mala est. Septem enim sunt literæ nominis, quod est *Flaccus,* atque in compotationibus mos erat, ut tot cyathos haurirent, quot literæ in nomine compotoris alicuius inerant.

V. 15. *Perfer* idem est quod sustine, quod si minus

placet, e codd. nonnullis sumere possumus *profer*. Utraque vox, ut puto, bonam efficit sententiam.

Procul omnis esto clamor & ira. Peerlc. miratus est, num Mæcenas et Horatius istum clamorem et iram moturi essent. „Nam de aliis", inquit, „convivis nihil legimus, neque ex carmine suspicamur plures interfuisse". Sed cur non plures interfuerint, non facile intellegitur. Poeta hic Mæcenatem invitat, ut convivio intersit, neque quidquam prohihet, quominus statuamus eum alios quoque invitasse. Contra convivium vile futurum fuisse videtur, nisi plures quam duo adfuissent. Et Hor. et Mæcenas multa convivia non sine sodalium strepitu celebraverant, ubi neque clamor neque ira defuerat, quare aptissimum est Hor:um animum Mæcenatis tranquillantem polliceri convivium quietum et placidum futurum esse. Lehrsius ita rem describit, quasi ad fustes et pugnos venerint, id quod nulla re in carmine indicatur, et mutat verba *clamor et ira* in *cura futuri.* Quod si tali modo ad libidinem verborum contextum fingere licet, omnes criticas quamvis implicatas tricas facile et commode extricare possumus, neque erit difficile sententiam quamlibet assequi, ita tamen, ut paullatim editio horatiana efficiatur, ubi neque e verbis neque ex sententiis codicum fere quidquam restet. Exempla non desunt.

Extrema stropha omnium maximum negotium criticis exhibuit. Primum omnium de vi et positione verbi *neglegens* disputatum est, quamquam iam uterque schol. probabili modo interpretatus est *neglegentem* hic esse *securum* et ad Vergilium (A. 1,350) delegavit, „ubi e contrario Verg. securum pro neglegenti posuit: securus amorum germanæ". Sine dubio sententia, quæ sequitur, *ne qua populus laboret,* pendet ex utraque voce *neglegens* et *carere* ἀπὸ κοινοῦ, ut sæpissime fit. *Privatus* maximam carminis difficultatem continet atque nescio quot modis explicatum sit. Cruquius annotavit: *non in foro publicus, sed intra parietes privatus.* Bentl. putat verba *parce privatus cavere* idem significare quod *noli rei familiari consulere,* "quippe rem suam familiarem privatus curat etiam magistratus, etiam si non præfectus mode urbis, sed orbis princeps fuerit".

Et superbiens: „neque", inquit, „in voce privatus iam quisquam hærebit amplius". Hæc autem spes eum fefellit. Cuninghamius et Sanad. e codice nescio quo *privatis* eruentes ab incommodo discessisse sibi videbantur. Alii *privatus* explicant *quasi sis privatus,* quod non credibile videtur. Melius iam Porph. interpretatus est *quum sis privatus.* Quum autem Mæcenas, ut vulgata fert opinio, Augusto absente præfectus urbi fuerit, multi illa explicatione *quum sis privatus* offenduntur, sed difficultate se liberant aut dicentes omnes præ Cæsare privatos fuisse aut v. c. cum Rittero addentes: *id est nullo magistratu populi iussu præditus. Quippe illam curam extra ordinem a Cæsare acceperat.* Melius erit nullam vim verbo obtrusisse nisi eam, quæ Augusti tempore vere in eo inerat, omissis omnibus argutiis. Nobis hoc considerantibus aptissimum videtur aut cum Hoeckio [1]) putare Mæcenatem numquam fuisse præfectum urbi, aut certe cum L. Muellero Mæcenatem eo tempore non tali munere functum esse. Si tali modo rem expediverimus, „non hærebimus amplius."

Tandem si omnes sive veras sive fictas difficultates in conspectu videmus, num probabilis causa est, cur aut totum carmen aut aliquam carminis partem spuriam esse credamus? Equidem candide confiteor me nullam reperire. Editores enim et commentatores in explicandis rebus, quæ duobus fere milibus annorum ante nostram ætatem gesta sint, inter sese dissentire quid est, quod miremur? Immo si omnium sententiæ congruerent, multo magis mirum esset considerantibus, quam multa de Hor:o scripta sint, quamque diversa sint hominum palata. Multo huic tempori propiores fuere scriptores, qui pæne infinitis explicati sunt commentariis, neque tamen propterea commenticia et interpolata eorum scripta habere in mentem cuiquam renit.

Procul omnis esto hypercriticorum *clamor & ira!*

---

[1]) Römische Geschichte, I: 312.

X.

Hoc carmen tanto opere laudatum tantique propter elegantiam iuvenilemque alacritatem æstimatum Gruppi Aeaco, severissimo Orci iudice, sine ulla misericordia damnatum est in cap., quod inscribitur Lydia, pagg. 524—530. Quum hoc loco specimen universæ criticæ rationis suæ dederit, haud alienum erit hanc rem paullo copiosius discutere. Quasi in prætereundo dicit non posse fieri, ut carmen ab Horatio scriptum et hoc loco collocatum sit. Quum in proxima ode cum Lydia sua tam belle in gratiam redierit, non posse illico amore Lyces deperire et queri se stridente aquilone pluviisque strepentibus ante limen eius porrectum confici. Carmen igitur spurium esse. Tum quæritur, quomodo ortum curque hic positum sit. Ad hanc quidem quæstionem respondere difficile videtur esse, sed acuta Gruppi mens filum Ariadnes invenit quo ductus e fallacibus labyrinthi erroribus evasit. Lydia in quattuor carminibus nominatur, I: 8, 13, 25, III: 9, quæ Gruppius opinatur Hor:um ita ordinasse, ut continua fabula amatoria fierent. Diversos amoris gradus exponi. Primum amorem crescentem describi in I: 8 & 13, deinde amorem divulsum in I: 25, reconciliationem denique in III: 9. Ita carmina illa suo loco esse, nosque dispositionem ipsam quasi obsidem habere carmina Horati ipsius manu esse scripta [1]).

Nihilo minus eidem Gruppio carmen I: 25 displicet. Itaque spurium esse putat. Quod si hoc carmen sustuleris, fabula illa amatoria lacuna affecta erit. Nulla enim perspicietur reconciliationis causa in od. III: 9, quum nulla discordia sit commemorata. Hanc rimam putat Gr. duos corruptores explere conatos esse, quorum alter astutia malo numine digna usus est. Prior enim eorum præter primam stropham totum carmen III: 10 scripsit et ibi fere posuit, ubi nunc c. I: 25 habemus, quo,

---

[1]) „Eine Bürgschaft, dass wir diese oden in derjenigen Folge haben welche auf die Intention und die Hand des Dichters verweist.“

se significasse ratus est Horatium & Lydiam inter sese abalienatos fuisse. Tum vero alter sodalis sui laborem addita prima stropha pessum dedit, ut videretur carmen ad Lycen non ad Lydiam scriptum esse, et odam longe a primo loco abreptam ibi collocavit, ubi minime apta est. Deinde nebulo iste, quo melius scelus celaret, compensandi causa c. I: 25 finxit. „Ab „eiusmodi", inquit Gru. „antiquarum literarum corruptoribus nihil est, quod timere non possimus". Addamus nihil esse, quod a talibus antiquarum literarum criticis expectare non liceat.

Facillime cuique apparet Gruppium, ut propositum suum peragat, quum a falsis aut saltem nullis certis indiciis probatis initiis, tum maxime a meris coniecturis proficisci, quibus ne minima quidem vis tribui possit. Recentioribus Horati interpretibus notum et perspectum est ex eroticis Horati carminibus fere nihil nos de propriis eius amoribus concludere posse. Et homines et nomina ficta maximam partem sunt [1]). Iam Glyceram, iam Lydiam, iam Chloen, iam alias carmine celebravit, atque Priapi simillimus putandus erat, si serio amore incensus carmina illa amatoria ad pulchras puellas puerosve misisset. Quod si ficta sunt et nomina et homines, carmen ante domum fictæ Lyces noctu canendum perbene post carmen ad fictam Lydiam scriptnm collocare potuit. Deinde quum dicit Horatius se ante limen Lyces fatigari, dum Juppiter duro (si sequimur Bentlei veri simillimam coniecturam) numine glaciet nives, hoc æque fere serio dictum est, ac quum loquitur de mille puellarum, puerorum mille furoribus. Veritatis et verisimilitudinis fines omnes omnium temporum poetæ excesserunt, sive veros sive fictos homines cantu suo prosecuti sunt. Ea, quæ Gru. de ortu corruptelarum coniecit, in umbras vanasque imagines sunt releganda.

Denique animadvertimus Gruppium in ultimo capitulo iam commemorato subito etiam carmina I: 8 et I: 13 in suspicionem acerrime vocare. Tum e quattuor illis odis I: 8, 13, 25, III: 9, quarum artificiosus ordo propriam poetæ manum

---

[1]) Vide exempli causa L. Mueller. Literarhist. Biogr. pagg. 122—130.

indicaret, unum solum carmen nil amplius restat. Ita secum ipse pugnat, sibique parum constat, neque tamen ei ullo modo molestum est.

XI.

Multa in hoc carmine non modo hypercriticis, sed etiam aliis valde displicuerunt. Ut L. Mueller optat, ne carmen sit Horati [1]). Mox tamen addit se non posse credere tota carmina spuria in scripta Horati irrepsisse. Nobis de carmine iudicantibus cavendum est, ne ad nostri temporis normam iudicium nostrum dirigamus. Suum cuique ætati studium et voluntas est, quas res mutari, quis non videt? Ut exemplum antiquum sumamus, Vergili Aeneis diu Homero multo pluris æstimatum est, id quod nobis mirum videtur, diuque hominibus penitus insita opinio fuit Horatium optimum fuisse in odis politicis et ethicis, quamquam unicuique Horati scripta attente legenti apparere debet Horati musam venustissimam esse, quum aut tota in ioco versetur, aut media inter seria et ioca volitet leviter iam hæc iam illa attingens. Voluntas et studium Augusti ætatis poetarum hominumque eorum poemata tum legentium secum ferebant, ut carminibus magnam historicam et mythologicam doctrinam immiscerent, quæ cum ipso argumento laxissime cohæreret. Qua in re Alexandrinos imitati sunt, quibuscum si contuleris Horatium, in eiusmodi poeseos quisquiliis usurpandis parcus fuisse videbitur. Neque tamen sui temporis opinionem prorsus spernere potuit, cui hoc carmen devovisse videtur, fierique potest, ut Horati æquales odam inter optimas numeraverint, quamquam nos longe aliter indicamus. Adeo sententiæ et studia hominum diversa sunt.

---

[1]) Lit. hist. Biogr. pag. 126.

Itaque si carmen non propterea spurium habendum est, quod mythologicas narratiunculas continet, quæ res eis non satis commendari potest, qui, quotiescumque fabulam aliquam carmini insertam vident, corruptorum impudentiam odorantur, restat, ut videamus, qua ratione huius carminis fabulæ ad Lyden pertineant. Horatius Mercurium lyramque invocat et petit, ut carmen incipiant, quod Lyden obstinatam movere possit. Multi dicunt absurdum futurum fuisse narratione amoris tam miseri animum Lydes mitigare. Ante omnia mentionem Hypermnestræ Lyden ab amore deterrituram fuisse, qui amanti non amoris præmium sed dolores et cruciatus afferret [1]). Hoc tamen speciosius quam verius dictum est. Iam Lambinus simpliciter et sincere sententiarum continuationem exposuit. Horatius Lyden deterrere vult, ne aspera in amatores sit, commemorando Danaides in inferis pœnas dedisse, Hypermnestram autem, quod honeste se gessisset, immortalem gloriam esse consecutam *(in omne virgo nobilis ævum).*

Præterea haud cunctanter eis subscribo, quæ dixit Ritter. „Primarium", inquit, „argumentum carminis est, quod versibus 22—25 narratur. Quæ antecedunt, huc spectant, ut res a Danai filiabus patratæ lepidam ob causam facete tradantur". Lyden hic secundas partes agere, inde etiam apparet, quod, quum bis eius mentio fiat, Horatius eam modo commemorat, non alloquitur. Quæ deinde Ritter loquitur Horatium ignaram plebem romanam Danaidum historiam docere voluisse, quod statuæ earum in porticibus palatinæ Apollinis ædis anno 726 dedicatæ essent, lepide hæc quidem coniecta, credibilia vero non sunt. In tali carmine didactico obstinatæ Lydæ prorsus nullus esset locus. Vero simillimum est Horatium nulla causa extrinsecus incidente carmen scripsisse, sed cupiens Alexandrinorum modo carmen fabulosum pangere.

Quod si neque in totius carminis argumento, ut ostendere conatus sum, neque in partium compositione inest causa, cur spurium id habeamus, reliquum est, ut inspiciamus, quid dubii

---

[1]) Vide Lehrs. pag. CXII sqq., Grupp. Aeac. 437 sqq., Schuetz. 365.

habeant singulæ quæque partes. Qua in re primum omnium quinta stropha oculos nostros ad se convertit:

> Cerberus, quamvis furiale centum
> Muniant angues caput eius, atque
> Spiritus tæter saniesque manet
> Ore trilingui.

Keller 22 philologos insignes enumerat, qui eam repudiaverunt [1]). Quibus addere possumus Schwenckium, Synnerbergium atque etiam Ljungbergium nostratem, ut numerum 25 expleamus. Hi omnes e vestigio, fidenter, sine hæsitatione et misericordia stropham damnant. L. Mueller: „Hos versus", inquit, „si scripsisset Hor., indigni hercule erant libri eius, in quibus recensendis Bentl. et Meinekius et præstantissimus quisque locarent operam. Sed enim non scripsit."

Quæ contra stropham dicuntur, hæc sunt:

1) Verba *eius atque* prosam orationem redolent et languida sunt.

2) *Tæter* vocabulum e melicis Horati eiciendum est.

3) Quæ hac stropha continentur, fastidienda et

4) ne apta quidem sunt. Nam corporis dumtaxat foeditas Cerberi depingitur, quum necessarium esset feri eius animi mentionem facere [2]).

5) Stropha nullo damno eximi potest. Nomen *Cerberus* supervacaneum est, quippe quod verbis *ianitor immanis aulæ* satis indicatum et circumscriptum sit.

Horum pondera ordine examinabo.

1) Vocabulum *atque* paullo ieiunius esse videtur et Naekio, Bothio, Bentleio, aliis displicuit, iniuria, ut opinior. Sæpissime enim Horatius sententias in exitu versuum exorditur et in versu, quæ sequitur, peragit. Eiusmodi enuntiationes introducentia in extrema versuum parte posita vocabula sunt pron. rel., coni., adv., præpos., aut monosyllaba, ut *et, si, qui, quod, cum, ut, ne, an, cur*, aut disyllaba, ut *inter, ergo, nempe, porro,*

---

[1]) Epileg. I: 226.

[2]) L. Mueller, ed. anni 1882, pag. 226.

quorum, namque, atque. Vox, quæ est *atque,* in omnibus Horati scriptis tricies quinquies [1]), bis in odis (h. l. et II: 10, 21) invenitur. Itaque hoc quidem verbum æquo animo fero, neque tamen fieri potest, quin voce *eius* offenditur animus, et iure inde a Cuninghamio, Dacierio, Sanadono, Bentleio repudiata est, nam ieiuna neque ferenda est, si ad *caput* pertinet, longiusque abest ab *ore,* quam quæ eo referri possit (ut putant Ritter, Schmidius, Nauckius, L. Mueller, alii). Proinde hanc inutilem vocem demamus locumque coniecturis emendamus, quarum optimam arbitror esse *emicetque* [3]). Hæc enim coniectura commendatissima erit, antiquam literas scribendi rationem (palæographiam) si respexeris, quam qui noverunt, facillime intellegunt, quo modo librarii *emicetque* in *eius atque* mutaverint. Verba *spiritus tæter emicet* bonam nobis præbere sententiam, Unger l. c. multis monstravit exemplis. Qua coniectura accepta, id quod in hac stropha difficillimum imprimis est, tollitur.

2) Vocabulo *tæter* L. Mueller bellum inexpiabile indixit, quod in omnibus editionibus nec non in lectionibus horatianis et in ann. phil. 1874 p. 64 sqq. et in libro, qui inscribitur Lit. Hist. Biogr., ut paucis absolvam, quotiescumque potuit, redintegravit. Cuius rei quænam sit causa, minime liquet, quum neque in sono neque in significatione illa vox quidquam offensionis habeat. Significat id quidem, quod foedum est, quod si quis rem foedam et tætram narrat, ei etiam verbis, quæ eam sonent ostendantque, opus est. Quæ quum ita sint, quanam tandem ratione improbanda odioque persequenda est vox ab Horatio sæpe in satiris atque præterea et in soluta et in astricta oratione et a recentioribus et ab antiquioribus et a Catullo et a Seneca et a Vergilio et a Cicerone usurpata? Equidem Kellero assentior in Epileg. I: 227 hæc dicenti: Eine Kritik, welche ein ästhetisch absolut indifferentes Wort wie *eius* als angeblich poetisch unmöglich verfolgt, ist mir unbegreiflich.

---

[1]) Waltz. Des Variations, cet. pag. 181.

[3]) Unger, Emend. Hor. VI.

3) Quæ stropha continentur, fastidienda sunt, sed nondum inventa lex est, quæ vetet poetas id quod foedum est describere. Si quis inferorum canem describere velit, descriptio tætra sit, necesse est. Ita enim pingendum est, ut alba et atra discernas, neque licuit contra romanorum opinionem Cerberum ut Apollinem sive Cupidinem depingere, ne hominum multis sæculis post Horati mortem futurorum animi ad accipiendam offensionem molles læderentur. Cfr. Ov. Metam. III: 75 de dracone:

Plenis tumuerant guttura venis,
Spumaque pestiferos circumfluit albida rictus,
Terraque rasa sonat squamis, quique halitus exit
Ore niger stygio vitiatas inficit auras.

4) Hoc cavillatoribus dignissimum mihi videtur. Antiquis certissime persuasum erat, corpus et animum inter se convenire. Fieri non potuit, ut pulchrum animum in deformi corpore cogitatione sibi fingerent. „Sana mens in corpore sano". Eodem iure dici potest: tætra mens in corpore tætro. Quum Cerberi corpus horridum esset, ratione recta sensuque communi utentibus animus quoque horrendus cantuque inexorabilis videbatur.

5) Omnium, quæ contra carmen dicta sunt, haud scio an hoc gravissimum sit. Nam post vocabula *ianitor immanis aulæ,* quæ sunt pulchra atque poeta digna verborum circuitio, vix quisquam expectat, ut Cerberus nominetur. Contra facile cogitari potest, magistrum puerorum, quum ei necessarium visum esset id, quod poeta circumscripte enuntiavisset, nomine ipso dilucidius facere, subito Apollinis instinctu tactum e nomine primo in margine scripto plenam stropham fecisse et carmini inseruisse. Hanc tamen suspicionem cave certum argumentum esse credideris. Stropha et a Porph. et ab Acrone commemorata est. Atque quum reliqua, quæ contra stropham dicta sunt, ut monstrare sumus conati, aut non iusta aut saltem infirmissima sint, cautissimos nos esse oportet in admittenda repudiatione a tot doctis viris facta. Si quis nihilo mi-

nus reicere velit, ei nimirum licet. Quum autem argumentatio visque probationis tam manca sit contra stropham a præstantissimis philologis reiectam, intellegendum est, quam periculosum et plenum alea sit cum hypercriticis audaciam ex audacia gigni sinere adeo ut, quum quid cortice levioribus rationibus nixi repudiaverunt, non modo non circumspectionem animi augeant, sed etiam maiore cum fiducia alia aggrediantur. Talem criticam rationem quicumque sequitur, paullatim ad eundem atque Gruppius exitum ducitur. Primo pauca reicit, postremo, si vita viresque suppetunt, Rhadamanthum, tertium Orci iudicem, constanter omnia condemnentem faciat, necesse est. Severæ iustitiæ nil probari potest. Res ad Hardovinum devenit.

Nunc paucis ea commemoramus, quæ singuli critici spuria esse putant. Peerlc. præter stropham iam laudatam etiam propulsat vv. 3—6 nulla alia ratione nisi quod sine sententiarum damno demi possunt [1]) atqua postremam stropham, ut ante eum Guietus, post eum Meinekius, Linker, alii fecerunt. Lehrsius præter quintam stropham etiam septimam summovet, qua re effecisse sibi videtur, ut carminis partes inter se melius cohærerent, quod tamen prorsus est supervacaneum, si cohærentiam, sicuti nos iam fecimus, explicamus.

Gruppius tribus diversis modis carmen tractavit. a) In Minois libro pag. 55 quintam solam stropham repudiat, b) ibm pag. 144 sqq. etiam cum Peerlcampio vv. 4—6 et cum Fr. Ellendtio præultimam stropham eicit. Ultimam vero stropham contra Peerlci:um enixe defendit. „Tales“, inquit, „versus numquam fraudator fecit. Insunt nitor et soni molles et delicati, qui nemini grammatico ascribentur“. Porro: „Proinde“, inquit, „hic carminis horatiani finis molliter et suaviter sonans conservetur, quasi flos, quem de corona poetæ ne detraxeris“. Quibus verbis equidem facillime assentior. Non tamen prohibent, quominus c) Aeacus pag. 437 sqq. totum carmen, etiam ultimam stropham, reiciat. Aeacus ne a primario quidem fraudatore stropham scriptam esse putat, quam nemini umquam grammatico tributum iri Minos affirmaverat.

[1]) Vide Schuetzi ann.

XII.

Gruppius hoc carmen non ante quam in extremo libro, qui inscr. Aeac., pag. 512 aggredi ausus est, ubi str. 1 desecuit, et in eadem sententia etiam in pag. 561 mansit. Rationes in privata eius opinione sita afferuntur, quas diligenter excutere tædii plenum esset. Vide Schuetzium!

XIII.

Extremam pulchram stropham Gruppius dicit esse „aus der Rolle gefallen, prunkend, anmasslich, unpassend, lächerlich, plump, unharmonisch. Quæ probra, quum neque grammaticis neque logicis rationibus fulciantur, nil refert refutare. Vide præterea Schuetzium. Dicat quispiam se mirari, quod Gru. non eiectionis causam inesse crediderit in alliteratione: *loquaces lymphæ desiliunt.* Nam alliterationes sive parecheses usque ad Catullum adhibebantur, postea autem in usu versari desierunt [1]).

XIV.

The Ode, inquit Wickhamius, is not in Horace's best manner, quod sine dubio verissimum est. Ut sæpe iam

[1]) Cfr. tamen Epo. XVI, 47 et in hoc carmine: dulci digne donaberis, cras cui cornibus, primis proelia, (frustra inficiet), rubro rivos, te tangere tu, frigus fessis, vomere vago, præbes pecori, fies fontium, impositam ilicem, loquaces lymphæ. Od. IV: 5, pollicitus patrum, veris vultus, dulci distinet a domo, (prata perambulat), prole puerperæ, poena premit, Parthum paveat, vitem viduas, magni memor. etc.

dictum est, Horatius non est præstantissimus in odis politicis, quarum hæc minime eximia est. Ut omnes hypercriticorum opiniones prætermittam, tantum restat reprehendendum, ut optem, ne carmen Horati sit. Statim tamen addere volo me non posse eis assentiri, qui putent tota carmina spuria in Horati scriptis inesse. Mirum est nihil in oda L. Muellerum offendisse, Gruppi Minoa eam plane ignorare videri, Aeacum breviter strictimque dumtaxat attingere aliquo loco dicentem eam sibi esse suspectissimam et alio loco se Peerlcampiumque eam spuriam habere. Diu dubitasse videtur, antequam repudiaret, id quod hoc in carmine nobis minime opinantibus accidit. Extremas duas strophas iam ante Peerlc:um Duhamelius quidam obelo notavit. Acerrime carmen vexatum est a Peerlc:o, Lehrsio, Schuetzio, quorum P. totam odam, L. extremas tres strophas. S. primas tres str. repudiavit. Omnes tres vehementissimis verbis usi sunt. Peerlc. et Lehrsius extremas illas str. irrisu acerbe insectantur. „Quibus cachinnis“, inquit P., „hodiernum poetam exciperemus, si talia scriberet“, et Lehrsius multa iocatus, „ineptiæ harum“, inquit, „stropharum trium verbis exprimi non possunt“.

E multis reprehensionibus, quæ a viris iam commemoratis allatæ sunt, aliquot primo aspectu cadunt, utpote quæ a vituperandi libidine profectæ sint. Ut Peerlc. ad verba *morte venalem petisse laurum* hæc annotavit: „Ergo Aug. mortuus rediit. Nam qui consequitur laurum morte venalem, is non consequitur nisi pretio mortis“. Nisi P. suopte ingenio poetæ verba quasi capillis trahere voluisset, intellexisset, *morte venale* non esse id quod quis vitæ iactura assequitur, sed id quod quis vitæ periculo consequitur, ut iam antiquissimi et simplicissimi interpretes explicaverunt, Pseudoacro et Cruqui commentator, qui vocatur: *Mortis enim contemptu laus victoriæ quæritur et triumphi.* — V. 13, 14 *Hic dies vere mihi festus atras eximet curas.* Hic P. annotavit: „Quasi Hor. aliis diebus per totum annum atris curis viveret oppressus“. Talia nemo dicere potest, nisi qui præmeditatus cum animo suo statuit vituperare. Si quis dicit: hic dies festus est, hodie omnes curas deponam, aut stultitiæ aut malitiæ

est putare eum reliquis anni diebus omnibus atra sollicitudine afflictum vivere.

Ad *abito,* v. 24, P.: „quasi", inquit, „aliud facere posset". *Abito* autem est = *molestus ne sis*, ut statim, omnes cogitant, omnesque explicant, qui quidem rem tam apertam explanare curent [1]).

Schuetzio ea, quæ Lehrsius in extremas tres str. iocatus est, magis hilara quam ad persuadendum apta videntur. Ipse dicit *puellæ virum non expertæ* esse verba miserima, quibus nemo utatur, nisi qui versum plenum faciat, neque aliter possit, et ostendere conatur, *puellæ* vocabulum appositam et sententiam supplentem vocem non desiderare, nisi quum puellas in matrimonium iam collocatas significet. Equidem hunc locum alio modo explico (de quo vide infra), tamen facere non possum, quin animadvertam, verba illa *puellæ non virum expertæ* (ut Bentl. legit) non esse poeta minus digna quam quod Bentl. affert. ex. Epl. II: 1, 32:

> Castis cum pueris et ignara puella mariti
> Disceret unde preces, vatem nisi musa dedisset?

Puella virum non expertæ = puella ignara mariti.

V. 11. *Iam virum expertæ male ominatis.* In hoc versu mala inest interpretum crux. Crucem etiam L. Mueller apposuit. Primum inspicienda est lectio *male ominatis,* quam Keller quoque recepit, quamquam in codd. I:mi tantummodo ordinis et in scholiis Porphyrionis et Pseudoacronis inest. Videmus hic quoque Kellerum rationem suam commodiorem quam rectiorem deseruisse, qua Horatium corruptelarum sordibus ita purgare studet, ut eas lectiones probet et accipiat, quos duarum classium (h. e. plures) codd. sustinent. Hic membranæ longe plurimæ habent *male nominatis,* qua lectione hiatus intolerandus insuper evitatus est. Collaudandum est iudicium Kelleri, quod contempta vitati hiatus esca non constanter rationem criticam secutus est, quæ multitudinis dominatui omnia proderet.

---

[1]) Vide Cru., Stamb. nostr., Ritterum, alios.

Interea observandum est, etiam codicem bland. vetust., quem Keller tertiæ classi annumerat, nobis præbere lectionem *male ominatis*, cuius rei Keller in eis, quæ ad h. l. commentatus est [1]), nullam facit mentionem. Addit Cru. hæc: Quam lectionem omnino credo servandam reclamantibus omnibus aliis mstis, quæ legunt *nominatis*. Non est, quod hoc silentio prætereamus, quum Cruqui eiusque membranarum auctoritas tam sæpe a Kellero in dubitationem vocata et impugnata sit.

Plurimorum codicum lectio *nominatis* non est accepta nisi a Lambino, qui „dubitanter et singultim" eam defendit cum græca voce, quæ est δυσώνυμος, comparans, et post eum a Rittero Luebkeroque (ne dicam Bondium aliosque minorum gentium). Bentlei mutatio *inominatis* Hauptio, Meinekio, L. Muellero, Nauckio aliisque nonnullis probata est. Præterea editores retinent *male ominatis* una cum hiatu, quem inde a Bentleio rerum metricarum peritissimus quisque absurdum et sine exemplo esse docuit.

Ceterum omnes emendaturientium conatus et diversas explicationes, quid sibi velint *virgines* et *iuvenes, pueri* et *puellæ*, enumerare longum est. Si cui tempus suppeditat, magnam sententiarum propositarum partem apud Kellerum l. c. legere potest. Versus mihi quidem servari non posse videtur, nisi aut Bentlei emendationes *non* pro *iam* et *inominatis* pro *ominatis* probamus, quod si fit, *male* plane supervacaneum et otiosum supplendi numeri causa inculcatum est, aut Bergki coniecturam, quam optimam puto, accipiamus: *iam virum expertæque male ominatis.* Qua re mutationem illam *non* pro mstorum *iam* amoliti idem consequimur, ne *expertæ* ad *puellæ* vocem pertineat [2]). Hiatus commodissima ratione vitatur, atque illud *que* in codd. per sigla scriptum facillime excidere potuisse, quum præsertim insolito esset loco, quis est, quin videat?

---

[1]) Epileg. I: 235, sq.

[2]) Hoc etiam Madv. (Adv. Crit. II: 55) assecutus est, qui scripsit: *vos, o pueri et puellæ et iam virum expertæ*, cet, qua tamen lectione hiatus intactus manet.

Insolita huins vocis collocatio non est quod offendat apud poetam, minime apud Horatium [1]). Si hanc interpretationem sequimur, ei qui festum ad Augusti eiusque militum gloriam celebrandam frequentarunt, in tria genera distribuendi sunt: 1) Matronæ maiores natu, quæ sacra faciendi munere functæ sunt (Livia Octavia, virginum iuvenumque matres), 2) Chorus (pueri & puellæ), 3) Novæ nuptæ (virgines = iam virum expertæ. Cfr. Petron. cap. 127, *si non fastidis feminam ornatam et hoc primum anno virum expertam).* Tali modo credo omnia in stropha explicari posse et versum servari, qui tantum negotii, quantum paucissimi versus horatiani, interpretibus facessivit.

Reliquam carminis infirmitatem denegare captiosorum disputatorum videtur esse. Iam in initio scriptor romanis convicium facit (plebs), neque enim æquale invenitur exemplum, ubi plebis vox nullam in se contemptionis et despicientiæ vim habeat. Sit sane verum Horati ætate uullum fere discrimen inter *populum* et *plebem* intercessisse, sed utrumque non sine contemptu dicebatur. Ita enim a nobilissimo, doctissimo, divitissimo quoque volgus appellabatur [2]). *Unico* ambiguum est. Alii hanc vocem idem quod singularem, egregium significare, alii laudem uxoris Cæsaris continere putant, quod uno viro contenta erat, „quæ laus foret ridicula et raram infantiam proditura“ [3]). *Non metuam mori* ex communi mori verborum idem ist quod *libens moriar*, hic antem a consuetudine sermonis abhorret, significans *non metuam, ne moriar.* Mira etiam est orationis continuatio. Magnificis et elatis verbis pæne imperiosus (prodeat) imperatoris uxorem sororemque et ceteras matronas hortatus, ut cum castis virginibus, puellis puerisque faventes linguæ sacra facerent, nuntiavit semet ipsum potatione cum meretrice festum concelebraturum esse. Denique subiratus

---

[1]) Cfr. od. I: 12, 15, II: 19, 28, III: 1, 12, III: 4, 11, III: 11, 13, AP 178, cet. Vidæ præterea Haupt., obs. crit. p. 42, sqq, Regel. ad od. I: 3, 16, pag. 14.

[2]) Vide Wickh. I: 213.

[3]) Ritter.

est, quod ianitor quidam sibi molestus fortasse futurus esset[1]). Dixerit quispiam Horatium iam „flaccum" vino et madidum carmen fecisse, deinde tres primos libros editurum e chartis eruisse, ut librum suppleret, qua in re eo facilius connivere potuit, quod carmen (maxime stropha media) ad Cæsarem adulandum aptissimum erat. Complementi causa multa in scriptis omnium fere poetarum insunt. Quantum e præstantissimis recentioribus poetis eiciendum erat, si optimis eorum poematis omnia metiremur!

Itaque animus nequaquam inclinat, ut carmen spurium putem. Si critica ars in eodem nunc esset statu, quo Peerlcampi tempore erat, interpolationes indagantibus fidem habere multo esset facilius, præsertim si peerlcampiano sublevarentur ingenio. Quum enim interpolationes per longissimum temporis spatium ab Horati inde morte usque ad artem typographicam inventam factæ esse crederentur, et numero permultæ videbantur et facillimum erat omnium difficultatum culpam in grammaticorum, rhetorum, librariorum, monachorum insulsitatem conferre. Quum autem hodie innumerabilibus prope dicam testimoniis ad liquidum perductum sit, Horati contextum talem extare, qualis 60 vel 70 annis post eius mortem fuerit, vix quisquam nobis persuadere potest, interpolationes multas et magnas inesse in libris, qui paullo post poetæ mortem in scholis usu discipulorum triti sint. Juvenal. 7, 225:

Totidem olfecisse lucernas
Quot stabant pueri, cum totus decolor esset
Flaccus et hæreret nigro fuligo Maroni.

Carminis verba præter Porph. et Pseudoacronem etiam Prisc.

---

[1]) Ianitorem istum non a viro Neæræ constitutum esse, ut Ritter dicit ad Epod. XV, vix est, quod moneam. „Num ianitor", inquit R., „morari potuit sui iuris feminam? Minime. Maritus igitur apposuerat uxori custodem, qui viro iniuriam defendere debebat". Triste sane fuisset talibus conditionibus maritum esse! Quis autem usquam terrarum præter Ritterum credidit ostiarium illum prohibuisse, ne domina ipsa exiret, quum luce clarius esset, eum impedivisse, ne puer Horati ad feminam intromitteretur, cuius ianua magna quotidie frequentia iuvenum celebrabatur?

Charis., Serv. commemoraverunt. Non decet eos habere, qui alienæ pravitatis poenas dent, et concedendum est, in lyricis Horati nonnihil frigere et ieiunum esse [1]).

XVI.

Hæc ode orationis quadam latitudine sententiarumque earundem repetitione paullulum laborat, quod tamen non adeo molestum est. Ceterum eximia est et magnum erectumque scriptoris animum significat. Quamquam sententiæ maximam partem volgares et communes sunt, tamen e quinta stropha apparere videtur, eas ad certam rem spectare, quod si ita est, haud dubie repulsa, ut Grotefendius primus vidit, indicatur, quam tulit Augustus, quum Horatio epistolarum officium obtulisset. Eiusmodi repulsam illius temporis romani intellegere non poterant, nam stultissimum esse putabant illud tam insigne tamque quæstuosum munus deprecari. Horatius in hoc carmine Mæcenati amico et fautori repulsæ rationem reddidit. Quid magna multitudo sentiret, non curabat. „Divitiæ multa mala curasque multas afferunt, quare pauper sed liber arbitratu meo vivere malo, et beatior sum, quam si multarum terrarum imperium obtinerem. Si quando necessitas me urgebit, tu mihi opem feres.“ En simplex carminis argumentum, quod poetarum more ornatum et exemplis instructum est. Carmen esse germanum vis ingenii vere horatiani et orationis color significant. Videmus enim commoditatis et otii cupiditatem, nullis finibus circumscriptæ libertatis amorem, sibi musisque vivendi desiderium, quæ omnia Horati propria erant [2]).

---

[1]) Vide Teuffel. Ueber Horaz, pag. 14: Wir finden Nüchternheit, Frost, prosaische Wendungen, Masslosigkeiten, bei denen wir oft sogar des Dichters sonstigen guten Geschmack vermissen, Selbstwiederholungen etc. Cfr. etiam L. Mueller. Biogr. 116—132.

[2]) Cfr. W. S. Teuffel. Litararhist. Uebersicht, pgg. 14, 15, Oswald. Leben, Character und Philosophie des Horaz, pgg. 76 sq. aliosque.

Hypercritici, quum multam pravitatem et perversitatem in carmine reperirent, id egerunt, ut critica vanno paleas tollerent. Si quem scrupuli valde stimulent & pungant, nihil forsitan germanum habere velit, nisi quod ab omnibus intactum relinquitur, nam nescias, cui fides sit habenda. Ergo si tres dumtaxat maxime insignes hypercriticos, Peerlc:um, Lehrsium, Gruppium respicientes videmus, quid sustulerint, ex huius carminis undecim strophis hoc restat:

Crescentem sequitur cura pecuniam
Maiorumque fames,

ne hilo quidem amplius! Simplicitate eiusmodi poematis stupescimus, quod compositum est e sesqualtero versu asclepiadeo minore et continet magnam veritatem. Neque tamen facere possumus, quin dubitemus, num futurum fuerit, ut Horati melica aurea illa romanæ poeseos ætate tantis laudibus efferrentur, si tam mutila fuissent, sed non potest dubitari, quin pueri romani, qui non sine sudore carmina Horati memoriæ inculcabant, illius temporis hypercriticis doctrina abundantibus gratias acturi fuerint, si obelis, athetesibus, cerauniis aliisque censoriis notis omnia carmina pæne ad nullum redissent.

Concordia trium illorum criticorum misera est. Peerlc. minimum delet, sed ab aliis valde discrepat. Str. 1, 3, 4, 7, 11 germanæ sunt apud Lehrsium, spuriæ apud Gruppium; str. 8, 9, 10 germanæ sunt apud Gruppium, spuriæ apud Lehrsium. Regnum hypercriticum manifesto secum ipsum discordat. Gruppius queritur, quod Peerlc. in hoc carmine tractando præstantissimum opus non ediderit, Lehrsius cum fraudatoribus concordaverit. Triste mehercle et acerbum est Lehrsio, qui pro virili parte operam navavit, ut fraudes detegeret, a socio argui se cum miris istis et sceleratis hominibus consentire, qui neque gloriæ adipiscendæ neque sui emolumenti causa (nomen nimirum dilegenter celandum erat, ne scelus patefieret), sed nefanda malitia posterosque eludendi studio adducti interpolantes acre certamen moverunt et Horati interpretes in bina castra infesta eduxerunt.

Magna illa hypercriticorum discordia satis indicat eos operis caduci fundamenta tamquam in aqua posuisse, neque aptos esse, quibus fides habeatur. Ab eis allatas rationes, cur interpolationes in hoc carmine latere statuerent, Schuetzius in annotationibus criticis copiose commemoravit et refutavit. Cui quum penitus assentiar, rem paucis absolvere mihi licet. Pauca tantummodo ab eo prætermissa addam.

Peerlc. str. 3 cum str. 4, str. 5 cum str. 6, str. 10 cum str. 11 confudit idoneis locis excidendo, id quod in str. 3, 4, 6 „miro casu“ (ut verba ab Orellio sæpe usitata adhibeam) sine molestia et sine ceterorum versuum ruina fieri potest, sed in str. 5 & 6 non fit sine lubrica mutatione, qua *mi* pro *si* scripsit, quamobrem in his quidem strophis excisionem Peerlc. haud dubie non fecisset, nisi necessitate coactus esset, ne filum orationis abrumperet [1]). „Nescias utrum magis admirereris, grammaticum, qui impune et occulte versus suos in medias strophas inseruit, an criticum sagacem, qui inventa hac re dubitationes suas aliis commendare potuit“ [2]). Excisiones suas Peerlc. argutiis sophista dignis defendit. Ut se adversus verba, quæ sunt *iure perhorrui late conspicuum tollere verticem* convertit. Verticem tollere dicit esse = suberbiam sibi sumere, quod ostendisse sibi videtur allato carm. I: 18, *tollens vacuum plus nimio gloria verticem.* Sed ibi unusquisque legere potest non *tollens verticem* sed *tollens plus nimio verticem.* Idem intercedit discrimen atque inter suecanas locutiones *bära sitt hufvud högt* et *bära sitt hufvud allt för högt.* Hoc significat superbiam, illud talem vim non habet. Cfr. Od. I:.1, 35, 36:

Quod si me lyricis vatibus inseris,
Sublimi fariam sidera vertice.

Quantam arrogantiam hæc indicarent, si Peerlcampi opinio recta esset! *Si me in melicorum numero habebis, arrogantissimus ero!* Ab his falsis initiis profectus Peerlc. facile id quod vult concludit. „Dixit igitur Horatius,“ inquit, “iure

---

1) Vide Schuetzium.

2) Luebker, Commentar zu Horaz's Oden, pag. 465.

perhorrui superbus fieri. At qua re superbus? Divitiis aiunt. Non arrogantia tam perpetua est divitiarum comes, ut tollere verticem et esse divitem idem significet." Recte hoc quidem. Sed de arrogantia, ut iam vidimus, Hor. ne verbum quidem dixit.

Verba quæ sunt in str. 10: *contracto melius parva cupidine vectigalia porrigam* interpretes duobus modis explicaverunt. Alii enim credunt significare idem quod *minora tributa persolvam,* alii *reditus meos extendam.* Illam explicationem proposuerunt Porph. („rei publicæ autem reditus dicuntur vectigalia"), Acro („parvus possessor minora persolvam tributa"), Commentator Cruqui, Dacierius, Sanadonus, veteres denique interpretes et recentioribus temporibus Ritter, Duentzer, Stambergius, si quis alius. Hanc interpretandi rationem amplexus esse videtur Cru. ipse („minora vectigalia invidiæ minus obnoxia eoque tranquilliora") et perpaucis exceptis omnes recentiores acceperunt. Peerlc. obsoletam explanationem sequitur, modo ut eam mulcet. Recentiorem illam a recta latinæ linguæ consuetudine abhorrere putat (vectigalia porrigere = reditus extendere). Cfr. tamen Sat. II: 2, 100: *Ego vectigalia magna divitiasque habeo* et stoicam sententiam *magnum vectigal parsimonia.* Senec. Epp. 89: *quousque fines possessionum propagabitis? Quousque arationes vestras porrigetis?* = extendetis. Deinde putat P. hoc esse sententiæ contrarium. „Professus enim erat se satis habere. Nunc autem diceret se rem suam parsimonia augere. Hoc etiam avari faciunt, qui quæsitis parcunt et abstinent, ut acervo semper aliquid addant". Quod si homo sobrius et parvo contentus hæc dicit: nolo dives esse; contractis cupiditatibus tenues reditus melius sufficient, quam si multa haberem, plura cuperem, cuinam umquam in mentem venit eiusmodi hominem avarum appellare? Nonne apertissimum est P:um hic calumniis uti viro doctissimo indignis?

Lehrsi dubitationes Schuetzius plane refutavit. Pauca tamen addere licet. Sententia illa *quanto quisque sibi plura negaverit, ab dis plura feret* absurda Lehrsio videtur. Forma quidem absurda est, sed ea erat ars philosophorum, qua para-

doxis sapientiam et veritatem conderent. Est autem stoica sententia. „Hæc enthymemata vera sunt axiomata stoica“ (Cru.) Non omnibus eam absurdam videri inde apparet, quod commemorata est a philosopho, Hildeb. moral. phil. p. 991. Cfr. Cic. parad. VI: 3: *non esse cupidum pecunia est, non esse emacem vectigal est, contentum suis rebus esse maximæ sunt certissimæque divitiæ*, cet. — Aeque absurda Lehrsio videntur verba *nil cupientium nudus castra peto et transfuga divitum partes linquere gestio.* Cruquio vero incredibilem admirationem et delectationem iniecerunt. „Explicat,“ inquit, „Horatius animum suum plane divinum, quam animi cum vitæ moribus symphoniam utinam imitarentur christiani“, cet. [1]).

Quam si, v. 41, Gruppius credit esse prosaicam eorundum vocabulorum in v. 25 repetitionem, quam ut vitet, utrumque caute delet. Tantum abest, ut hæc repetitio Lehrsium offendat, ut contra omnibus, quæ intersunt, strophis delendis ita aperte scribat:

Contemptæ dominus splendidior rei,
Quam si, quidquid arat impiger Apulus,
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops,
Quam si Mygdoniis regnum Alyattei
Camps continuem,

et quæ sequ.

Deinde Gruppius dicit germanam carminis partem a v. 17 incipi neque se errare ex eo collegi arbitratur, quod nomen Mæcenatis, quem alloquitur poeta, tum in prima stropha insit. Malum argumentum! Usitatissimum enim est in carminibus Horati eos, quos alloquatur poeta, longe ab initio nominari. Ut in od. I: 4 e 20 versibus composita Sestium Horatius in v. 14 alloquitur, od. I: 6, 5 Agrippam, I: 7, 19 Plancum, I: 17, 10 Tyndarida, I: 20, 5 Mæcenatem, cet. cet.

---

[1]) Occasione data Cru. christianas nonnullas cogitationes commentariis horatianis mandat, quibus his verbis finem imponit: *Eia, age, macte virtute, nolito timere, pusille grex!*

Præterea Gr. ea servat, quæ aliis criticis maxime sollicitudini fuerunt, ut str. 8 cum implicata verborum compositione et str. 10, quæ eos quoque offendit, qui, quidquid eis non placuit, confectim delere nolint. Retinet autem quattuor strophas, quibus servatis adeo mutatur argumentum, ut intacti carminis argumento prorsus sit contrarium. Gr. de hac re „simulans", inquit, „se esse contentum, poeta dilegenter lectis et compositis verbis significat fautores sibi parum consuluisse seque ex inopia tantummodo eripuisse, et aperte dicit eos sibi plura daturos esse, si literula una petierit. Hoc tamen iam fecit. Absunt preces et tamen adsunt." Itaque pro continentia et modestia, quæ in toto carmine insunt, quas Hor. in repudianda splendidissima conditione ostendit, quasque valde admiramur, epistolam poetæ ad stipem manum porrigentis accipimus. Hoc Gr. hypercritica sua arte lucratur. Quum Horatium poetam optimum et perfectissimum facere sibi videtur, Horatius homo fit miser et sordidus.

XVII.

Quid sibi velit hæc ode ad explicandum multæ et miræ in lucem prolatæ sunt opiniones. Cru. dicit Horatium Lamiam a luxu intempestivo deterrere voluisse! Galianius et Mitscherlichius in carmine ironiam et fastus stirpis superbi irrisionem vident. Duentzer, qui „subtiliorem carminum horatianorum cognitionem" efficcre vult, symbolica, ut aiunt Græci, omnia esse putat. „Argumeutum," inquit, „carminis hoc est: tamdiu vixisti, quamdiu voluptatibus te dedisti. Liris imago celeriter evanescentis morteque intereuntis vitæ est" [1]). Annosa cornix

---

[1]) Hoc saltem discrepat a verbo *innantem,* quod tarde et lente labentem Liris aquam significat.

est = die lange Erfahrung, cet. Flaccus noster stupuisset, ipse si cognovisset, quam subtilis sapientia in carminibus iocosis lateret. Etiam de præstantia carminis magna est opinionum differentia. Duentzero hæc ode pulcherrima et rotundissima esse videtur, Lehrsius malum imperiti et ignari hominis opus esse putat, Peerlc. neminem Augusti ætatis poetam eam agnituram fuisse credit. In tanta dissensione facere non possumus, quin sanæ menti maiorem quam variis criticorum quamvis doctorum opinionibus auctoritatem tribuamus.

Quam si consulimus, apertum est carmen esse iocosum et hic ut alias Horati musam esse venustissimam, quum aut in mero ioco aut in iocis cum seriis permixtis versetur. Post iocosam exordii pompam sequitur argumentum, quod hoc est: Cornix pluvias cras venturas vaticinatur. Proinde cura, ut lignum aridum habeas, nam cras nihil aliud tu tuique facere poteritis quam convivari. Si Lamia ambages interpretari potuit, intellexit poetam semetipsum ad caenam iuvitasse, id quod Lamiæ sine dubio gratum erat. Hoc Horatium voluisse optimo iure conicere licet, quum nihil de causa, cur carmen scriberet, memoriæ proditum sit, si tali modo melius explicare possumus. Ita carminis oeconomia, ut ita dicam, clara et perspicua fit. Difficultates in spinosa et contorta interpretum explicatione positæ sunt. Fuere enim, qui crederent, Lamiæ diem natalem hic agi (Dillenburg., alii) vel diem omnibus romanis festum ut Saturnalia (Meinekius) vel festum post condita frumenta celebrandum (Ritter), quæ omnia perversa sunt, nam 1) non conveniunt cum verbis *porco bimenstri,* quod romani diebus natalibus immolando abstinebant, 2) nescimus, quid pluviarum prædictio hic sibi velit, nam Lamia, vir ille nobilissimus, sine dubio spretis imbribus diem natalem convivio celebrabat, nisi credere velis id maxime Horatium spectasse, ut Lamiam moneret necessarium esse lignum aridum præparare, quod tamen satis futile videtur et ligneum, (Gruppio, qui str. 3 delevit, gratam delendi causam eiusmodi explicatio præberet. Ipse cur ita faceret, nihil attulit), 3) Lamia homo esset fatuus, quippe quem necesse esset de die omnibus romanis festo vel

etiam de ipsa die natali admonere. „Nobilis Lamia, ne sis oblitus crastinum diem natalem tuum esse." Hoc est ridiculum et summo iure Lehrsium ad irridendum impulit, quæ tamen irrisio non in Horatium sed in perversam interpretationem cadit. Recte autem iam Dacierius ad verba *famulis operum solutis* hæc annotavit: „Non debemus", inquit, „inde concludere diem crastinum communiter festum fuisse. Horatius dicit atrocem tempestatem a labore impedituram esse". Sanadonus, qui ut mea quidem fert opinio, omnium et antiquiorum et recentiorum editorum optime de hoc carmine meritus est, idem fere dicit.

Iam vero ad difficillimam in hoc carmine quæstionem transeamus. Videndum enim est, quomodo primæ duæ strophæ cohæreant cum eo, quod diximus esse carminis proprium argumentum. Versus quintus in omnibus membranis ita scriptus est: *auctore ab illo ducis originem.* Si lectionem *ducis* retinemus (quod miror quemquam post Bentlei explicationem facere ausum esse), verba illa ad argumentum pertineant, necesse est, quum eorum sententia et ea, quæ sequitur, eodem tenore progrediantur. Itaque quæ carmine continentur, hæc essent: „Lamia, gentis tuæ auctor Lamus, conditor Formiarum, erat. Cras pluet. Cura, ut habeas aridum lignum. Convivium celebrabis". Partium cohærentiam hic laxam sive potius nullam esse, quis est, quin videat? Et homo nobili loco natus, quem de generis sui auctore (vel etiam, ut nonnulli volunt, de ipsius die natali) certiorem facere necesse erat, Horati musa parum dignus fuisse videtur. Plurimi autem de hac lectione desperantes Heinsi a Bentleio aliis commendatam coniecturam *ducit* acceperunt. Etiam Keller, coniecturarum ille contemptor, necessitate coactus eam probavit. Tantum vero ea proficimus, ut v. 5 ad parenthesin, quam vocant Græci, neque ad ipsum argumentum pertineat, sed etiam accipimus longam et vix ferendam parenthesin, quam legentibus nobis haud multum abest, quin spiritus intercludatur, argumentum autem non plenis duabus strophis absolvitur, prima stropha nihit habet leporis atque obscura et languida est. Hac maxime

stropha commotus Peerlc. totum carmen repudiavit. „Si legissem,“ inquit, “hoc carmen, ut Meinekius ingeniose et felicissime constituit, minus fuissem severus“. Meinekius vv. 2—5 exclusit, sed idem multo ante eum fecit Sanadonus, cui honor huius rei merito tribuendus est. „J'ai cru“, inquit, „devoir décharger Horace de cette fade et inutile parentèse, qui défiguroit cette ode par sa longueur, par son tour prosaïque, & par son obscurité.“ Aut hic aut numquam carmen horatianum absterso illito fuco in nativam et pristinam pulchritudinem restitutum est. Nam demptis his versibus concinnitas carmini redditur, omnia dilucida et distincta sunt, partes optime inter sese cohærent, carmen fit rotundissimum. Quum huc accedat, quod aliæ logicæ et grammaticæ rationes sunt, cur vv. 2—5 abiciantur [1]), neque quales sunt in membranis retineri possint, sed pro omnium mstorum verbo *ducis* scribendum sit *ducit*, Sanadoni exemplum imitari ne moremur. Idem multi et doctissimi viri fecerunt, ut Jones, Gesner, Wetzelius, Buttmannus, Struwius, Weber, Regelius, Luebker, Meinekius, Ianius, Gruppius, L. Mueller, Stambergius, Synnerbergius [2]). Weisius et Nauckius, omnium rerum conservantissimus, melius eos afuturos fuisse credunt.

Quis interpolationem fecit et quo tempore orta est? Sanadonus mea quidem sententia ad hanc quoque quæstionem recte respondit: „Ces quatre vers“, inquit, „sont une addition de quelque misérable pédant ou de quelque mauvais poète des siècles postérieurs.“ Commemorati sunt a Servio, Prisciano, Porphyrione (grammaticis quæ eis continentur arrident), quare ante eos scripti sint, necesse est. Eodem fortasse tempore huic carmini additi sunt, quo orti sunt vv. IV: 4, 18—22, sive anno circiter 150, quo tempore homines ad antiquarum rerum gentiumque auctores cognoscendi studium iratis et iam senescentibus musis romanis propensissimi erant.

---

[1]) quas Luebker copiosissime attulit in „Commentar zu Horaz's Oden“, pgg. 478—480; repetere longum est.

[2]) Dacierius non, ut Gruppius dicit, eos delevit, neque, quod mirum est, Hauptius,

XVIII.

Extremam stropham Peerlc. (et post eum Gruppius Lehrsiusque) lupum inter agnos esse putat, quem velut Faunus stomachosus fugare conatur. Retusis tameu telis in versus innocentes invectus est.

Inter audaces lupus errat aguos-

Ut notum est, hic versus memoriam revocat Esaiæ prophetæ cap. XI v. 6: *Habitabit lupus cum agno et pardus cum hœdo accubabit.* Quam quo maiorem facerent similitudinem, librarii christiani in versu, qui præcedit, *pagum* in *pardum* mutaverunt, qui pardus in codd. nonnullis ct Acronis scholiis grassatus est. Hanc monachalem coniecturam Bentl. semel non sine risu reiecit. Reliqua similitudo non est quod quemquam offendat, nam, ut etiam Gruppius, Aeac. 113, concedit, sententia illa ad communem poetarum silvam (etiam orientalium) pertinet. Peerlc. alio modo sententiam castigavit. Dicit enim scribendum fuisse agnos inter lupos errare. Intellectu tamen difficile est, quidnam intercedat discriminis. Nil interesse videtur, utrum agni inter lupos an lupi inter agnos errent, quum omne pondus iu eo insit, quod Fauni tutela agni *audaces* sunt neque timent lupos.

Spargit agrestes tibi silva frondes.

Ambigitur, utrum hoc carmen faunalibus iduum febr. an nonarum dec. an tempore, quod inter utraque interest, scriptum sit, sed inter omnes convenit extremas duas strophas ad faunalia non. dec. spectare, quod etiam e vv. 10 et 13 apparet. Peerlc. solus hanc explicationen impugnans ante v. 9 posuit v. 10 eumque ad ea, quæ præcedunt, pertinere putat, v. 14 spurium habet. Transpositio versus decimi tamen nemini ne Lehrsio quidem placuit, quæ si non probatur, hæc quidem causa v. 14 eiciendi sublata est, Peerlc. autem aliam sepositam habet. „December,“ inquit, „folia arboribus excutit, sed quis hoc serio ad honorem Fauni transferat?“ Omnibus

tamen temporibus mos fuit hominum ut eorum viam floribus foliisque consternerent, quos honore afficere vellent. Chariton p. 77 Lips.: οἱ μὲν ῥόδοις, οἱ δὲ αὐτοῖς στεφάνοις ἐφυλλοβόλησαν αὐτούς. Addere volo Matth. Ev: XXI, 8: ἄλλοι δὲ ἔκοπτον κλάδους ἀπὸ τῶν δένδρων, καὶ ἐστρώννυον ἐν τῇ ὁδῷ. Quæ quum ita sint, quis poetæ interdicere potest, ne fingat silvam in Fauni honorem folia excutere, quibus migrantis dei iter spargat? Immo poetica elegantia est ab imperitorum interpolatorum intellegentia sensuque diiuncta.

Gaudet invisam populisse fossor.

Peerlc. vocem *invisam* morose reprehendit, quam puta esse „ridiculum epitheton," sed talis est horatiana musa, ut severa quoque ridentis vultum non satis deponere soleat. Quod alii attulerunt, romanos non dixisse *pellere terram,* sed *pulsare* s. *quatere terram* facile refutatur exemplis, Catull. Carm. LXI *pelle humum pedibus,* Lucret V, 1041 *duro terram pede pellere matrem.*

Ter pede terram.

Peerlc:io non placet illud *pede* sic nude, sine epitheto, positum, sed adeo condidus est, ut ipse tria ex. afferat, in quibus *pede* et *pedibus* eodem prorsus modo sine epitheto sunt.

Quum contra hanc stropham talia tantummodo afferantur infirmiora, quam quæ cuiquam probari possint, spero fore, ut nemo addubitet eam germanam habere.

XIX.

Multa et varia de hoc carmine scripta sunt, nam multa insunt, quæ ita explicari non possunt, ut omnibus probentur. Nescimus, quo tempore scriptum sit, quinam fuerint Telephus et Murena, quid sibi velint verba *tribus aut novem miscentur cyathis pocula commodis — — ternos ter cyathos petet vates — —*

tres prohibet supra tangere gratia, utrum spectent ad certam occassionem an fictam (ut L. Mueller credit), quo modo partes inter se cohæreant, cet. De his omnibus rebus suam fere quisque editor opinionem habet, neque quidquam umquam certe diiudicabitur.

Ut ego quoque in lubricam coniecturarum glaciem me conferam, crediderim Horatium secundum convivium illud memoria etiamtum recenti musis et quodammodo Baccho concitatum carmen scripsisse, in ipso autem convivio sermone ad res tædii plenas declinato lenitur obiurgantem se in Telephum convertisse, eumque hortatum esse, ut omissis rebus historicis suis et archæologicis ea narraret, quæ ad convivia spectarent, ut quis aquam temperaret, cet., hæc denique verba (vv. 5—8) non solum ad celebratum illud convivium sed ad quævis convivia spectare. Non sum nescius etiam hanc interpretationem difficultatibus laborare, sed partium saltem coniunctio et convenientia explicatur, quæ in hoc carmine ad intellegendum res difficillima fuit, quæque Lehrsium impulit, ut in duo, Sivrium, ut in tria carmina divideret, Peerlc:um, ut partem posteriorem totam (v. 9—28) reiceret [1]).

Cur Peerlc. tot versus abiecerit, præcipua causa in eo ipso inesse videtur, quod tam multa in carmine varie explicantur. De hac causa ne verbum quidem dicemus, nam omnes moderati critici intellegunt absurdum esse talia apud antiquos scriptores spuria habere, quæ aut ad explicandum difficilia sint, aut varie explicentur. Quæ contra singula quæque verba affert, morosæ sunt et putidæ subtilitatis. „Sein Spott über die der Nacht, dem Monde und dem Murena in einem Athemzuge gebrachten Gesundheiten ist kein wissenschaftlicher Beweis“ [2]). Neque melior est notatio eius „gratias æque atque musas impares esse“ aut dubitatio, “num spissa capitis coma in commendatione pulchritudinis haberi possit,“ cet. Cur vicina non habilis seni appellaretur, credidit

---

[1]) Idem, quod expectandum erat, Gruppius fecit.

[2]) Luebker, pag. 483.

ipsi poetæ difficile narratu futurum fuisse, deinde autem ipse optime explicavit: „aliquid nobis non habile dicitur, quo apte uti non possumus."

XX.

Horatius hic Pyrrhum miserum ludibrio habuit, sed experrecta Nemesis ultores Pyrrhi inter commentatores Horati excitavit, qui partim in hanc odam iocati sunt, partim eam irriserunt. Si Horatius redivivus eorum scripta legere posset, incertum est, utrum magis ioca rideret an ob irrisionem irasceretur. Iocatus autem est Acro, qui putat Pyrrhum esse regem illum Epiri, Nearchum significare Tarentum, leænam = Romam, catulos = principes Romæ. Cruquius credit leænam significare lenam, catulos = „pueros meritorios, quos alebat (lena) lucri gratia, inter quos erat Nearchus, quem rapere invita lena non erat tutum." Duentzer, subtilis Horati odarum interpres, inter alia dicit duas postremas strophas continere hanc sententiam: „man weiss, dass er jetzt selbst liebt." Hi omnes sine dubio non sentiunt se iocari. Nam viri austeri sunt atque sinceri et severo voltu explicationes suas nobis præbent. Difficilius est idem credere de irrisoribus, Gruppio et Lehrsio. Quicumque carmen leget, inveniet Pyrrhum et mulierem, quæ appellatur leæna, uno tempore adolescentem, cui erat nomen Nearcho, amavisse, inter Pyrrhum et leænam pugnam orituram esse, in qua Nearchus et arbiter et præda pugnæ sit. Hæc sola probabilis argumenti expositio Gruppio ot Lehrsio non placuit. Ille opinatur leænam a Pyrrho et Nearchum a leæna amari, hic leænam in Nearchum irruere putat," qui sibi puerum pulchrum et amatum ab ea abalienare conatur," atque Nearchum cum leæna pugnaturum esse. Ab his miris initiis profectis haud difficile eis fuit invenire pertubata omnia et confusa in carmine esse et irrisione cavillationeque tamquam flagello fictum Pseu-

dohoratium cædere. Ad refutandum satis est commemorasse eorum argumenti explicationem esse falsam et perversam.

Quæ in carmine iure aliquo reprehendi possunt, Peerlc. hic ut sæpe alias solus attulit. Non tamen odam delevit, sed eam obscuram et Horatio vix dignam esse putavit. Ipse autem facili et eximia coniectura maximam difficultatem dempsit. Nam pro mstorum verbo *illi* in v. 8 scripsit *illa,* quæ coni: plurimis recentioribus editoribus etiam Kellero in Epileg. probata est. Quamquam vix fieri potest, ut antiqua lectio intellegatur, tamen explicationes magna cum fiducia edd. nimio conservandi studio adducti protulerunt. Ut Dacierius et post eum Stambergius noster verba *tibi præda cedat maior an illi* ita interpretantur, ut dicant *maior* pro *magis* esse scriptum et *magis* idem valere quod *potius.* Tum uterque addit *felicissime* hoc esse dictum, ut omnes dubitationes avertant. Tamen ne imperitissimus quidem eorum discipulorum *maiorem* pro eo, quod est *potius*, scripsisset. Homines cum animalibus aliis conferre nobis quidem sæpissime ineptum esse videtur, antiquos aliter sensisse constat. Quamobrem non est vituperandum feminam leænam et amatorem eius catulum appellari. Reprehendi aliquo iure potest Horatium allegoriam mutasse. Primo Pyrrhum inducit venantem cum indagine, in quam irruit (*per obstantes iuvenum catervam*) leæna, ut catulum servet. Deinde res ita describitur, quasi sit inter Pyrrhum et leænam certamen singulare, in quo Nearchus recepta iuvenis figura et præda et arbiter pugna est. Fieri potest, ut Hor. ad hanc rem exemplo græco adductus sit, nam ad exemplum græci carminis concinnata est ode.[1]) Ut *inaudax,* ἅπαξ εἰρ. græco verbo, quod est ἄτολμος, conversum esse apparet.[2]) Sed omissa hac re Schuetzius recte animadvertit Horatio necesse fuisse Nearchum, ut summam eius pugnantium

[1]) Cfr Doeringium & Schuezium.

[2]) Quum Peerlc. huius verbi novitatem reprehenderet, secum non reputavit, quanta singularium vocum multitudo apud Horatium esset. Vide Zangem., Rothmaler., Waltz., alios.

incuriam exprimeret, ex catulo iudicem certaminis facere, nam catulus nulla sua voluntate leænam secutus esset.

Qualis aut Nireus fuit aut aquosa
Raptus ab Ida.

Peerlc. credit *raptus* substantive hic usurpari non posse, quare pro *fuit* scribere vult *puer*, quam vocem Horatius facillime potuisset adhibere. Mutatio tamen non est necessaria, neque codicum lectio est reprehendenda. Vide eiusdem rei ex., quæ attulit Nægelsbachius, stil. Lat. p. 73.

Restat, ut verba *pouisse fertur* intueamur. Nemo infitibitur languida hæc esse, quæ utinam quisquam tolerabili coniectura mutare posset! Unger coniecit *fervet.* Peerlc. credit eandem fervendi vim in verbo *fertur* inesse posse, quod non significaret idem quod *dicitur,* sed *cum impetu ruit.* Sed neque fervere neque cum impetu ruere convenit cum incuria et neglegentia, quas Nearchus in certamine spectando ostendit. Tutissimum nescio an sit hæc verba ad versum explendum addita esse putare. Atque tota hæc ode exigua illa quidem, sed neque obscura neque Horatio indigna habenda est.

XXI.

Hoc carmen inter pulcherrima huius libri est. Rotunda est et apta compositio, neque quidquam nisi concinnitate perturbata demi potest. Commemorarunt scholiastæ et grammatici, Acro, Porph., Diomedes, Marius Victorinus, Servius. Nihilo minus male mulcarunt hypercritici. Ut non inter se consentiant, tam sæpe fieri solet, vix ut mentione dignum sit, sed hanc unam rem auctoritatem eorum valde infirmare, quis non videt? Quod ex:i gratia Peerlc. quasi spurium delet, id Gruppio „pulcherrimum et Horatio dignissimum“ videtur, quod autem Peerlc. intactum relinquit, id Gruppius ridiculum et miserri-

mum esse putat. Vv. 21—24 a Peerlc:io, Lehrsio, Prienio, vv. 15—20 a Gruppio, 9—12 a Prienio, 2—5 a Lehrsio, 1—4 a Gruppio deleti sunt. Deinde ex optimo Horati carmine hoc restat:

Servas moveri digna bono die,
Descende, Corvino iubente
Promere languidiora vina.

Hoc quoque eiectum fortasse est ab aliquo, quem legere mihi non licuit (ex:i gr. Martinum). Argumenta eorum infirma sunt. Gruppius contra primam stropham dicit inurbanum futurum fuisse coram Corvino, tam nobili conviva, de querellis, rixis, insanis amoribus somnoque loqui. Sed notum est romanos in conviviis calidos et turbulentos fuisse, etiam si nobiliores quam Corvinus viri adessent, atque Corvinus haud fastidientis stomachi fuisse videtur, quum Horatius ipse de eo dicat verba hæc: *non ille* (Corv.) *te* (testam) *negleget horridus* (Cfr. Od. I, 27).

Languidiora vina sunt, ut Porph. interpretatus est, vina vetustate lenita. Lehrsius talibus vinis non ita homines affici credit, ut in prima stropha describatur, sed bonum solum effectum habere. Posset igitur aliquis vinum vetustum per totam noctem (dum rediens fugat astra Phoebus) bibere, neque fieri posset, ut ad rixas s. insanos amores impelleretur, neque somno gravaretur, hæc autem incommoda vitare non posset, vina deteriora si potaret. Num ita res se habeat, vinorum periti diiudicent. Deinde dicit verba *quocumque lectum nomine* talia esse, ut explicari nequeant. Edd. tamen optimo iure dixerunt *quocumque nomine* idem significare quod *quacumque causa* s. *in quemcumque finem*. Talem vim sæpe nomen habet apud scriptores latinos, ut apud Cic. de Am. 25: *multis nominibus est hoc vitium notandum,* Tac. Ann. 14, 59: *decretæ eo nomine supplicationes,* cet. Quod si cui hæc explicatio non probatur, ei licet Bentlei coniecturam accipere: *quocumque foetum numine,* quæ et subtilis est et facilis [1]). Melius saltem

[1]) *Numine* etiam Keller in una editione scripsit, quod sit „lectio difficilior", quamquam in Epileg. palinodiam cecinit. *Foetum* ab Ungero accep-·um est.

est Bentleium sequi quam Lehrsium, qui pro *servas moveri digna* legit *digna et moveri testa* et pro *te Liber et si læta aderit Venus* violenter scribere vult *tecum libenter læta aderit Venus.*

Tertia stropha Prienius offenditur [1]). Causam aliquam non attulit, nisi quod dicit carmen demptis str. 3 & 6 rotundiorem fieri, id quod non intellego. Aliam tamen re vera causam fuisse facile est videre. Peerlc. enim str. 6 repudiavit, atque ut congruentiam et concinnitatem inter „stropham“ et „antistropham“ restitueret, Prienio tertiam quoque stropham eicere necesse erat.

Gruppi Minos (pag. 424, sq.) str. 4 et 5 supervacaneas et ineptas esse statuit. Quibus remotis quattuor restant strophæ, quas quasi specimen carminis rotundi et pulcherrimi exscribit [2]). Alter autem iudex, Aeacus (p. 411, sqq.), primam quoque stropham delendo et carmen critico suo tormento ad tres strophas (2, 3, 6) reducendo pulchritudinem et rotunditatem pertubare non dubitavit. Hæc quæ restant, Aeacus Horatium secum ipsum solum locutum esse credit, quum in apotheca s. fumario ambularet copiamque vini oculis lustraret et amphoram vini massici aspiceret. Quomodo is, qui legit, scire possit, poetam allocutum esse amphoram, quæ nusquam nominetur, Gruppius non ostendit. Quæ contra str. attulit, iam sumus contemplati. Str. 4 & 5 delet, quod sint inepta carminis a Bacchylide scripti imitatio (melicos græcorum Horatius, ut omnibus notum est, sæpe est imitatus), et ineptias perridiculas contineant. Exempla affert *lene tormentum* et *viresque et addis cornua pauperi,* quæ verba ei ridicula videntur. *Lene tormentum* tamen e Bacchylidis vocabulis, quæ sunt γλυκεῖ' ἀνάγκα conversum est ipseque Hor. alio loco simili verbo usus est, AP. 424: *reges dicuntur torquere mero, quem perspexisse laborant.* Cum eo, quod est *cornua addere pauperi* versus nonnullos Ovidi conferre licet, quibus fortasse Ov. Horatium imitatus est, A. A. 1, 237 sqq:

---

[1]) Rh. M. XIII: 328.

[2]) „Schönes Gedicht, ohne Wiederholung, in schönster Rundung und Einheit“.

Vina parant animos faciuntque caloribus aptos.
Cura fugit, multo diluiturque mero.
Tunc veniunt risus, tunc *pauper cornua* sumit,
Tunc dolor et curæ rugaque frontis abit, e. qu. s.

Extremam stropham Peerlc. repudiavit, quod *Liber testam producere* non possit. Quo nihil est verius. Quod si isto modo poetarum verba tractabimus, quid tandem manebit? Contueamur ex:i gratia v. 19: *post te neque iratos trementi regum apices,* cet. Quid, quæso, sibi volunt irati apices? Quid est tremere apices? Per se quidem et absurda et ridicula sunt, neque tamen quisquam erit, quin intellegat hæc verba a poeta usurpata nihil aliud significare quam post vini potionem non timere iratos et potentes reges [1]). Eodem modo Liber et Venus et lucernæ producent amphoram h. e. amphoræ vinum h. e. vini potum h. e. compotationem, comissationem. Nihil est simplicius. Præterea stropha compositioni carminis necessaria est, ut etiam Gruppius ostendit (Minos 99) [2]). Cfr. Luebker. pg. 490 sq.

XXIII.

Vv. 17—20 delerunt Guietus, Peerlc., Meinekius, Hitzigius, Lehrsius, Gruppius. Eos nihilo minus vere ab Horatio scriptos esse, e duabus maxime rebus collegere licet. 1) Stropha

---

[1]) Vide Od. 1, 18, 5: quis post vina (= post vini potionem) gravem militiam crepat. Cfr. Peerlc:i ann. ad h. l.

[2]) Quum a Gruppio plerumque discordemus, iuvat hoc loco verba eius afferre, quæ nobis valde probantur. „Peerlkamps Bedenken scheinen mir erkünstelt; im Gegentheil, ich halte diesen Schluss für unerlässlich, denn das Gedicht kann nicht in der Allgemeinheit stehen bleiben, es muss wieder auf die Amphora und Spezielles zurückkommen, namentlich auf den Moment, wo sie hervorgeholt wird, denn darauf ist doch offenbar das Ganze angelegt, und das Gedicht bedarf eines Schlussaccords im Sinne Horazischer Odenkunst“.

ad clausulam efficiendam partiumque concinnitatis causa necessaria est et carmen abrepta ea mutilatum est. Lehrsius hoc videns putat, si stropha subditicia habeatur, necesse esse statuere germanam stropham a falsa stropha extrusam excidisse. 2) Stropha optimis testimoniis nititur. Non modo eam commemorarunt (ut omittam Hildebertum, phil. moral.) schol. Pers. 2, 75, Servius ad Aen. 5, 745, sed etiam imitati sunt Tibullus (Lygdamus) 4, 1, 14; 3, 4, 10 *(omnia noctis farre pio placant et saliente mica)* et Ov. Fast. 4,409. Refragantibus eiusmodi testimoniis stropham spuriam habere absurdum est.

Sed quia sententia ad explicandum difficilis est, stropha etiam a Meinekio est repudiata. Reprehensio in grammaticis et metricis rebus sita iniusta est. Peerlc. recte illud *mollibit* damnat, quæ verbi forma in Horati carminibus sine ulla dubitatione ferenda non est, admittenda vero est lectio (mollivit), quæ est in codd. primi, ut ait Keller, ordinis & apud Acronem Porphyrionemque, quamvis repugnantibus II & III classibus. Neque est, cur elisione in *pio et* offendamur. Nam 1) elisio sæpe fit ante *et,* 2) quod Horatius longas vocales invitus in melicis elidit, hoc non pertinet ad longam, quæ est *o*, vocalem, 3) ex omnibus odis elidendi libertas in tertio libro maxima est, ubi longæ vocales quinquies et vicies eliduuntur. Vocem *pio* iambicam esse nil refert, nam ex. sunt, ubi etiam in eiusmodi vocabulis synaloephe est admissa [1]).

Sententia, quæ in fine carminis aptissima videtur, hæc est: Si innocens manus aram tangit, non sumtiosă hostiă blandior deis est, quam far pium et saliens mica. Hæc sententia et pulchra et apta esset, et cum ea opinione consentanea, quam alii quoque scriptores antiqui (ex:i causa Seneca) de rebus divinis habebant. Si igitur *immunis* idem significaret quod innocens et *sumptuosa hostia* pro nominativo haberi possent, sine dubio nemo stropham subditiciam haberet. Tali modo etiam multi explicant, ita tamen, ut spinis et metricis et in sermone latentibus pungantur.

---

[1]) Vide Waltzium, „Des variations", cet. pgg. 171, 174, L. Mueller, præf. XXXIII.

Immunem hic esse innocentem putaverunt Acro & Porph., „Commentator“, Sanadonus, Dillenb., Huepedenius [1]), et inter nostros Stambergius, Fahlcrantzius, Cavallinus [2]). Interea nullum reperitur in literis latinis ex., ubi *immunis* solum nullo addito genetivo s. ablativo talem vim habeat. Quam ob rem haud scio an illam explicationem repudiare cogamur, nam, ut dicit Wickhamius, si *immunis* esset idem quod immunis scelerum, totius carminis gravissima esset vox illud *scelerum,* sed Horatius non adeo obscure scripsit, ut gravissima sententiæ pars cogitatione et incerta coniectura addenda esset. Neque eorum opiniones probabiles sunt, qui artificiose explicaverunt, ut Lambinus (immunis = improbus) [3]), Duentzer (frei, geschäftslos, h. e. am Feiertage [4])), Luebker (rein, körperlich und moralisch). Itaque proprio sensu capiendum est hoc verbum: *sine munere, sine donis.* Hoc etiam plurimi editores fecerunt, ut Dacierius [5]), Bentl., Ritter, Keller, Wickh., Peerlc., Schuetzius, cet., et inter Scandinavos Buggius, Lysander, Haeggstroemius, cet. Inter contrarias opiniones Gesner, Bothius, Orellius, L. Mueller pacem componere conati sunt vertentes: sine donis, h. e. quia manus nullam rem commisit, quare dei doni placandi sunt, h. e. innocens. Verisimilius mihi esse videtur ita vertere: sine donis, h. e. quia manus nihil donare potest, h. e. pauper, ita ut sententia strophæ hæc fiat: pauperes quum sacrificant, sumptuosiores quam pro facultatibus sacrificantium hostiæ deis non placent.

Sumptuosa hostia pro nominativo habuerunt Bentl. et post eum Ianius, Luebker, Boettiger, Huepedenius, Nauckius, Gruppius, alii. Quod autem dicunt Acronem & Porphyrionem

---

[1]) Qui totam commentationem de hac una ode scripsit, Cellæ 1829.

[2]) Lex. lat. p. 1148.

[3]) Ex:o e Plauto sumpto nixus est. Potuit autem ipsum Ciceronem afferre: virtus non est inhumana neque immunis (hjertlös, sjelfvisk) neque superba.

[4]) „Kann nicht geschenklos heissen“; wie verdreht und verschroben wäre dann der Satz!“

[5]) „Ne peut jamais signifier innocente, pur, mais vuide“.

eodem modo interpretatos esse, nescio an valde sit dubium, num scholiastas recte intellexerint. In Acronis scholiis ad h. l. hæc annotata sunt: Si manus immunis scelerum tetigit aram sumptuosa hostia non mollivit aversos penates blandior pio farre et saliente mica. Perspicuum hic est, in interpunctione nostra ab Acrone non usurpata positum esse (comma enim aut ante verba *sumptuosa hostia* aut post ea scribendum est), utrum *s. h.* subiecta sint verbo mollivit, an in abl-o casu sint et ad snbiectum *manus* pertineant. Porphyrionis annotatio ita legi solet: nominativi casus sunt *s. h.,* quia sensus est: non blandior diis *s. h.* quam manus, quæ farre sacrificat. Hic hostia et manus inter se comparantur, quæ „comparatio compendiaria“ neque in Horati verbis inest neque Porphyrioni est obtrudenda. Sed codex noni vel decimi sæculi Porphyrionis scholia continens habet *non nominativi casus sunt,* quæ lectio probata est Havthalio et Meyero, qui facili transpositione *manus quam* pro *quam manus* scripserunt et legunt: *non nominativi casus sunt, quia sensus est: non blandior sumptuosū hostiū manus, quam quæ farre sacrificat,* ubi *s. h.* aperte in ablativo sunt. Videmus igitur, in dubitationem saltem vocari posse, quo modo scholiastæ rem explicaverint, ita ut eorum auctoritas hac in re nulla sit.

Neque Bentlei auctoritatem credo eius aliorumque interpretationem nuper commemoratam defendere. Notum est in alcaicis hendecasyllabis quintam syllabam fuisse ancipitem apud æolicos et Catullum. Apud Horatium autem semper longa est [1]). Ergo *s. h.* in abl. sint, necesse est. Ne id quidem iure contra dici potest, postremam syllabam vocabuli *sumptuosa* positione longam fieri ante *blandior,* nam, ut ostendit Lenhoffius, ante literas *bl* nihil apud Horatium positione fit longum [2]). Quod si *s. h.* in abl. sunt, verba *farre pio et saliente mica* non possunt pro abl. comparationis haberi, quamobrem cogimur, ut ad explicationem a Lambino datam nos

---

[1]) Cfr. L. Mueller. de re m., Waltz. p. 151.

[2]) Vide III: 4, 50, III: 6, 19, III: 11, 9.

applicemus: immunis manus æque placabit deos farre et mica salis, nihilo gratior futura propter sumptuosam hostiam. Duentzero et Meinekio candide concedendum est, verborum coniunctionem (constructionem) hoc modo fieri implicatam et contortam, sed rerum metricarum sermonisque difficultates evitantur, atque, ut iam diximus, stropha melioribus nixa est testimoniis, quam quæ spuria haberi possit.

XXIV.

Minos (p. 362, sqq.) du oscarminis restituendi modos proponit. Exsecat vv. 5—8, 15, 16, sed plus audentibus proponit, ut vv. 1—8, 15—24, 60—64 abiciant. Dicit hos versus esse ieiunos et languidos [1]), quos excludi carminis et poetæ magnopere interesse. Aliam, cur excluderet, causam attulit nullam. Utrumcunique modum amplexus eris, stropharum distributionem delebis, quod fieri carminis et poetæ vix intererit. Aeacus, qui alias vult superior iudex esse sæpeque iudicia fratris ut iniusta abrogat, hic fraterno amore permotus mirum in modum cum eo consentit. Lehrsius totum carmen retinuit, sed *apulicum,* v. 4, in *linteis* mutavit.

Gruppius dicit (Aeac. 110) Peerlc:m postremam stropham et alio loco sex, alio duos versus repudiavisse. Peerlc. tamen neque umquam stropham postremam neque sex neque duos versus, sed vv. 3—6 delevit. Prienius huius sequitur exemplum, nam sublatis his vv. 15 strophæ restant, quarum quinque stropham, quinque antistropham, quinque epodon facere putat. Peerlc. autem vv. 3—6 et propter incertas lectiones in v. 4 et propter versus 5:ti et6:ti obscuritatem delevit.

In v. 4 codices inter lectiones, quæ sunt *apulicum, publicum, ponticum* vacillant. Quum *publicnm* etiam in cod. V

[1]) „Unerhört prosaisch“, „völlig lahm und erkältend.“

(bland. vet.) insit, ea lectio a Lachmanno accepta est, quam ut eis, quæ præcedunt, aptam faceret, codicum vocem *tyrrhenum* in *terrenum* mutavit, et propter magnam Lachmanni auctoritatem coniectura eius multis editoribus probata est. Etiam Keller in ed. anni 1864 legit *terrenum* — *publicum*, sed in Epileg. ad codicum lectionem reversus scripsit *Tyrrhenum* — *Apulicum*. Mirum est eum utramque lectionem (apulicum et publicum) scholiis Porphyrionis adminiculatum esse. Porph. autem hæc annotavit: *Hac ode invehitur in luxuriam ædificiis non terram tantum verum etiam maria occupantem*, unde ne hilum quidem concludere licet, utrum legerit mare apulicum an publicum. Ceterum Keller [1]) optime codicum lectionem defendit. Terrenum substantivum Livius primus usurpavit (23, 19). Post eum sæpe, ante eum nusquam invenitur. Sed extruso omnium codicum verbo dubiam eiusmodi et incertam vocem inculcare et pessimi exempli et supervacānea res est. Codd. habent apulicum, pulicum, publicum, ponticum. Ponticum in mavortianis codd. est, quum autem Mavortius Constantinopoli prope Pontum vixerit, intellectu haud difficile est, e quo fonte fluxerit eius „emendatio“. Pulicum eo tempore ortum est, quo Puliam [2]) pro Apulia dicere coeperunt, ut Spaniam pro Hispania. Deinde librarii ignari pulicum in publicum mutaverunt. Dubitari vix potest, quin hoc modo variæ codicum lectiones ex archetypi voce Apulicum ortæ sint, neneque est causa cur terrenum coniciamus aut versum spurium esse putemus. Nam etiam si sententiam spectamus, nihil est vituperandum. Mare Tyrrhenum et mare apulicum h. e. mare inferum et mare superum, h. e. duo illa maria, quæ alluunt Italiam [3]).

---

[1]) Epileg. 260, sqq.

[2]) Quæ forma etiamnunc in usu est.

[3]) Quod attinet ad syllabarum mensuram in voce Apulicum, constat eam sæpe in propriis, quæ vocant, nominibus esse incertam. Quod Peerlc. dicit in hoc versu magnam inesse veritatis superlationem (hyperbolam), vix si sententiam horatianam consideramus serio dictum esse videtur.

Si figit adamantinos
Summis verticibus dira Necessitas
Clavos, non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput.

Hi versus pervarie sunt explicati. Necessitas hic parcarum partes agere videtur, et si nominum vim et significationem respicimus, ad Atropi maxime personam gerendam necessitas apta esse videtur, quæ dea sæpe in antiquis picturis et vasis cum clavo et malleo ficta est. Quid significat ille necessitatis clavus, quidve est summis verticibus clavos figere? Plurimi interpretes inde a Dacierio crediderunt summos vertices esse domuum fastigia et clavos significare clavos annales, qui teste Livio (7, 3) per annos singulos a prætore maximo in parietibus templi Iovis figebantur, ut per eos numerus annorum collegeretur. Hæc tamen explicatio longe petita videtur, neque verisimilis est. Nusquam enim apud scriptores latinos necessitas sive fatum prætoris maximi personam gerit, nusquam id habet munus, ut annos numeret, neque usquam pinnæ et fastigia domuum appellantur vertices.

Conferendus est hic locus cum Od. I: 35, 17—20 et recta interpretatio e scholiastarum annotationibus est elicienda.

Hor. l. c. scripsit:

Te semper antit serva Necessitas
Clavos trabales et cuneos manu
Gestans ahena, nec severus
Uncus abest liquidumque plumbum.

Uterque schol. res h. l. enumeratas instrumenta lictorum vel apparitorum esse dixit, quibus „puniebantur dampnati“ (Acro). „Eleganti conceptione hæc instrumenta accomodat Fortunæ, scilicet quibus cogit et torquet implicatque res humanas“ (Porph.). Lehrsius in optima rei expositione eodem modo explicavit, neque fecere possum, quin mirer, quod interpretes pleriqne omnes [1]) spreto scholiastarum subsidio structoris viles partes fato dederunt, quod instrumenta ista ab eiusmodi hominibus usurpari possunt.

---

[1]) Exceptis tamen Lehrsio, Rittero, Ungero, Schuetzio, L. Muellero.

Quod si clavi trabales in I: 35 sunt instrumenta, quibus torquebantur et necabantur sceleratissimi homines, vix est dubium, quin in III: 24 clavi adamantini in eundem finem usurpentur, et necessitas neque est prætor neque ædificiorum structor sed lictor s. carnifex. Quæ res si ita se habet, vertices significant vertices humanos sive capita, quæ vis neque est incerta, neque nova, neque insolita.

Hanc explicandi rationem Bentl. iocose refutare conatur. „Ego," inquit, „spondere ausim, cui clavus per cerebrum adactus sit, omni metu liberum et expeditum futurum". Videamus, quid Schuetzius ad hoc respondeat: „Bentlei", inquit, „verba facetiora quam veriora sunt. Totum enim locum allegorice intellegendum esse apparet", Recte hoc quidem. Tum vero pergit: „Quis per metaphoram dicit clavos per cerebrum adigi, qui dicere vult homines imperio necessitatis subiectos esse?" Quod si sibi ipse constare vellet, et necessitatem hic quoque lictorem esse putaret, ut in Od. I: 35 cùm perpaucis aliis lictoris partes necessitati dedit, metaphoram suo prorsus loco esse collegeret. Horatius nimirum dicit homines ut servos necessitati ut lictori esse subiectos, quæ quum ad eos veniat, ut tormentis suis ad mortem eos cruciet, tum eos non animum metu liberare neque caput laqueis mortis expedire posse, etiamsi tam divites sint, ut non modo Italiam, sed etiam maria alluentia ædificiis suis occupent [1]). Denique ad stropham defendendam idem fere dicere nobis licet, quod Lehrsius ad I: 35 annotavit, confitendum esse nos semel bisve legentes in hac illave re hærere neque obiter et leviter attingentes quasi per glaciem transcurrere posse, hoc autem neque esse argumentum contra stropham neque vitium poetæ, quippe quod poetis alte assurgentibus neque per humum serpentibus concedendum sit.

---

[1]) Cfr. schol. „Necessitatem pro morte posuit", Porph. „Adamantinos clavos pro mortis necessitate posuit", Acro.

XXV.

Peerlc. hoc carmen comminuit et e fragmentis versus nonnullos coniecturis et transpositionibus conglutinavit, quos putat carminis ad Bacchum celebrandum scripti (quod tamen nusquam invenitur) initium esse. Versus autem peerlcampiani hi sunt:

Quo me Bache rapis tui
Plenum? Quæ nemora, aut quos agor in specus?
Edonis stupet Evias
Hebrum prospiciens, et nive candidam
Thracen, non secus in iugis.
Nil mortale loquar. Dulce periculum est,
O Letoë, sequi deum
Cingentem viridi tempora pampino.

Hoc opus quasi tessellatum mala partium cohærentia nemini placuit, neque, credo, cuiquam placebit. Gruppius iure dicit hanc emendandi rationem esse pessimam [1]) et Schuetzius Peerlc:um adeo refellit, nihil ut addere opus sit [2]). Aut Lehrsio assentiri debemus, qui quamvis hypercriticus totum carmen retinet, aut cum Gruppio totum carmen reiciendum est. Tertium non datur.

Peerlc. in repudiata carminis parte, quam e scholiastarum glossis ortam esse arbitratus est, multa invenit, quod reprehenderet, quorum tamen singula quæque Luebker refutavit [3]), ut nobis satis sit ad eum legentes delegasse. Unum tantummodo adiciamus. Morose obiurgat verba, quæ sunt *quibus antris audiar Cæsaris decus meditans*. „Recte", inquit, „in antro meditamur et canimus, non tamen ut longe lateque audiamur". Hæc vituperatio, quæ veritatis speciem præ se ferat, si quis putet verba *quibus antris* idem significare quod *in quibus antris* evanescit, si *antris* pro dativo habemus (för l. af hvilka

---

¹) Minos 394.
²) Ed. Hor. pag. 373.
³) Comment. pgg. 409—512.

grottor), quo sententia et melior fit et suavior. Ut Verg. E. 6, 82: Omnia quæ Phoebo quondam meditante beatus Audiit Eurotas [1]).

Carmen dithyrambicus est conatus, qualis, Od. II: 19 si excipias, nusquam alias in melicis Horati reperitur. Hoc poeseos genus gravitati romanorum non erat aptum, et facile apud eos ad tumorem prolapsum est. Neque ad musam Horati accommodatum erat, quod præcipue in IV: 2: *Pindarum quisquis,* cet. ipse diserte dixit, qua re se ipse excusavit, si quid in hoc carmine minus placet. Finis præ initio tenuis est. Hoc tamen dithyramborum proprium est, ut subitas a proposita oratione declinationes et frequentes ac mobiles ad alias res transitus patiantur [2]). Callide autem carmini ad Bacchum celebrandum scripto laudes Cæsaris intexuit.

Carmen scriptum a poeta, qui fingit vel simulat se esse Bacchi et vini instinctu concitatum mente bacchantium ritu furibunda et lymphata magis poetico sensu quam critica severitate percipiendum et iudicandum est. „Homo Bacchi plenus“, inquit Peerlc. (in ann. ad hoc carmen), „non cogitate scribit, sed spiritu isto inflatus versus ex tempore dicit“. Quod si Peerlc. sibi persuasit, rem ita se habere, nonne carmen ab argutiis hypercriticis defendendum est? Consideratis his rebus non est dubitandum, quin sit carmen germanum. Neque, quod sciam, quisquam præter Gruppium totum carmen reicere voluit. Explicatum vero est a schol. et a Diomede, Prisciano, Victorino, Servio, aliis commemoratum.

---

[1]) Cfr. Vossium: o wo
Hört mich Felsengewölb' ihn des ungleichbaren
Cäsars ewigen Preis mit Glut
Zu den Sternen erhöhn? cet.

[2]) Cfr. Kellerum Epileg. 266 & M. Rh. 19, 212: Das gesteigerte Pathos ist missverstanden worden, das Horaz unter Umständen gern anwendet.

XXVI.

Hæc ode pulcherrima ioci facetiarumque plena est. Amor cum bello comparatur, et sicut milites finito bello in templo Martis arma suspendebant, ita Horatius amoris bello defunctus in templo Veneris arma amatoria sua se depositurum dicit. Quænam vero arma? — Barbiton, funalia, vectes, arcus! Legentibus romanis nihil risum magis movere potuit. Tum vero finis carminis omnibus inopinatus verum est horatiani ingenii signum. Petens, ut Venus Chloën arrogantem semel tangat, indicat se non magis bellum amoris finire quam serio arma illa in templo amoris re vera suspendere animum induxisse.

Quæ ridendo dicta sunt, inquit alicubi Dillenb., ridendo etiam sunt accipienda. Cuius rei immemores critici morosi multa prave interpretati sunt. Omnes v. c. sciunt, quam multa homines de amoribus Horati scripserint non considerantes eum, si omnium ab eo nominatarum feminarum amore arsisset, verum Priapum futurum fuisse. Eodem modo multa alia quasi serie dicta intellegunt, quum sint merus fingentis animi lusus. Quod si fit, facile est mille difficultates et perversitates invenire. Ita etiam in hoc carmine factum est. Unger enim, „quis tandem“, inquit, „pro certo exploratoque affirmaverit funalia et vectes ceteraque, quorum quidem usus nihil profuisset, a servis apportata Veneri dedicata fuisse? — — — quamque bello sunt spectaculo dominus ipse lyram suspensurus et servorum turba in eodem pariete vectes funaliaque iamiam affixura?“ Sed ubinam gentium, obsecro fidem vestram, quisquam fuit adeo demens, ut crederet Horatium serio ista efficere in animo habuisse? An Horatio non ut aliis poetis fingere licuit sive mentiri, si cupiam ita dicere magis placet?

Præterea Unger & Peerlc. offensionis causas prorsus easdem in stropha altera inveniunt. Uterque se præbet hypercriticum, uterque sua adhibet medicamina, ille malas coniectu-

ras, vix ut stropha intellegi possit, hic malam eiectionem, adeo ut cohærentia inter str. 1 et 3 nulla fiat.

Non eis placet Venus marina, quam Peerlc. dicit veteres non ita appellasse, nisi aliqua esset causa, e. g. si quis mari vectus deam auxilium rogaret. Unger coniecit *maritæ (!)*. Non facile tamen collegitur, cur non Horatius Anadyomenen appellare potuerit marinam, h. e. „mari ortam“ (Acro). Idem epitheton usurpatum est in IV: 11, 15, *qui dies mensem Veneris marinæ findit Aprilem.* Deinde oculos eorum præstringunt *funalia lucida.* Dicunt enim neminem faces ardentes in pariete templi suspendere (nam incendium facere possent). Apparet autem faces ita esse lucidas, si accendantur [1]).

Arcus et his duobus et multis aliis displicuit, quod arcus non videntur ad fores effringendas adhiberi posse. Bentl. *securesque* pro *et arcus* coniecit, id quod in contextum receptum est a L. Muellero in postrema editione. Keller aliam protulit coniecturam, *ascias,* in Museo Rhenano, 1863, 279, sq., quam ipse in omnibus suis edd. scripsit et in Epileg. 271, sqq. summo studio defendit. Utrumque parum placet. Nam bentleiana coniectura literarum conformatione voculæ, quæ est arcus, dissimillima est, et ascias hic metri causa quasi dissyllabum esset legendum [2]). Equidem haud scio an operæ pretium sit audire explicatorem quendam ignotum, qui in margine codicis reginensis sic scripsit: „Arcus, quibus ianitores terreant“. Arcus per se quidem ianuam aperire nequeunt, quod si robustus ostiarius summovetur, ianua semaperta est. Quod dicunt arcus esse cædis instrumenta, tranquillo animo Horatium cædis crimine liberare possumus. Hæc enim omnia finxit. Quod si quis re vera vectibus usus pacem nocturnam et domesticam rumpens contemptis omnibus publicæ securitatis ministris ad collucentes faces in domum vi irrumpere et fores occlusas

---

1) Ut Silius dixit, VI. 667: nocturnus honos, funalia clara.

2) „In ed. anni 1864 Keller recepit Bentlei unam coniecturam, ipsius duas, e quibus altera est ineptissima, altera errore metrico foeda. Nec enim licet in tertium versum systematis alcaici admitti cum synizesi illud ascias“. L. Mueller, ed. an. 1879, præf. pg. IX.

effringere conatur, is nescio an non dubitet arcu invisum et timidum ianitorem deterrere, ne sit impedimento. Quamobrem nulla est causa, cur omnium codicum et scholiarum lectionem mutemus, nedum stropham spuriam habeamus.

Equidem facere non possum, quin explicationem quandam huius carminis impugnem, quæ si vera esset, hypercriticis futuris ansam ad reprehendendum Horatium præberet. Carolus Frankius in primo versu pro *puellis* coniecit *duellis,* quod multis editoribus arrisit, inter quos sunt Meinekius et L. Mueller. Hic ita interpretatus est, quasi *duellis* verum bellum significaret, bellum scilicet civile, cui Horatius interfuerat. Prudentissimus autem quisque intellegit, quam sit aleæ plenum sola quamvis eleganti coniectûra nixum refragante quovis codice carmini prorsus aliud argumentum subicere, quam quod codd. nobis præbeant, quos si sequimur, fieri non potest, quin cum Porphyrione nobis explicandum sit: „Hac ode videtur iam renuntiare carminibus et lyram consecrare et *amare desinere.* Allegoricos militiam amorem vocat.“ L. Mueller contra, „Horatius,“ inquit, „fessus iam bello totum se amori dare cupit“. Codd. si sequimur, Horatius provecta ætate carmen scripsit, si Muellero paremus, carmen in primis ab eo scriptis numeremus, necesse est (nuper). Deinde verba, quæ sunt *militavi non sine* gloria [1]) iactationem haud parum resipiunt. Tum vero illud defunctum bello barbiton quid sibi vult? L. Mueller explicat *barbiton non amplius bella canturum.* Sed ubi Horati lyra bella cecinit? Quid, quod Horatius persæpe confessus est lyram suam ad bella canenda minime fuisse aptam (I: 6, II: 1, II: 12, III: 3, IV: 2, alibi) [2])? Quanto melius est cum Porph. explicare: *significat amores suos se barbito cecinisse* et totum carmen „allegoricos“ intellegere (Ovid. Am. 1, 9, 1: militat omnis amans, et habet sua castra cupido)! Ac si lectionem

---

[1]) fortasse „relicta non bene parmula„.

[2]) Horatius hoc carmine græcum aliquem poetam imitatus esse videtur, e. g. Alcæum. Hic autem iure dicere potuit barbiton esse bellis (vere gestis canendis) defunctum, Horatius non ita.

in codd. nobis traditam, *puellis,* servare volumus, verba *puellis idoneus* non magis mira sunt, quam quæ insunt in IV: 1, 12: *si torrere iecur quæris idoneum.*

Restat, ut dicamus Gruppi Aeacum primo totam oden conservasse [1]), deinde vero mobilitate levitateque animi inferorum iudice indigna totum carmen capitis damnavisse. Lehrsius contra totum codicum carmen nullis coniecturis et „emendationibus“ obscuratum retinet, quare ab Ungero reprehenditur, nobis autem magis esse videtur, cur ei gratias agamus.

XXVII.

Quænam fuerit Galatea, quidve cum Horatio commune habuerit, nescimus, quamquam multas de ea re coniecturas docti viri protulerunt. Etiam quo spectet carmen, variis et inter sese contrariis rationibus explicatum est. Sunt qui putent, Horatium eam ab itinere dehortari, alii [2]) contra, poetam ei persuadere voluisse, ut proficisceretur. Hardovinus opinatus est poetam nobilitati francogallicæ dissuasisse, ne Ioannis Brienni expeditioni in Palæstinam susceptæ (anno 1234) interesset. Hoc enim carmen (ut reliqua Horati) a monachis medii ævi confictum ei videtur.

Si, quid senserint critici de carminis integritate, examinare volumus, via ineunda est difficilior quam iter Europæ trans mare factum. Hæc enim „nocte sublustri nihil astra præter vidit et undas,“ nos autem atra nocte nihil nisi scopulos et syrtes dispicere possumus. Lehrsius cum Hardovino totam oden abiecit, Peerlc. str. 2, 3, 6, 9—19 delevit, Gruppi Aeacus, iudex serverus, Horatio omnia exceptis strophis 4, 5,

---

[1]) Pag. 111 „Ich kann hier das conservative Verfahren nur loben“.

[2]) ut Nitzschius, Galianius..

7, 8 abiudicavit, Luebker str. 14 oculis obliquis aspexit, Meinekius str. 6 tollere voluit, Schuetzius quasi spurias excerpsit str. 5, 6, 14 et vv. 63—66 (age te — barbara pælex) et animus ei inclinavit, ut etiam str. 12, 13, 15 abiceret, si propter sententiarum nexum fieri potuit, L. Mueller optavit, ne carmen ab Horatio scriptum esset [1]), et in extrema ed. dicit str. 11 haud dubie falso esse insertam, quod languida et vilis sit.

Quid tibi, qui legisti, iam videtur? Inter has doctissimorum virorum de carmine restituendo opiniones tibi libera datur optio, ut eam elegas, quæ tibi maxime arrideat, et statuas, quid ab Horatio, elegantissimo poeta romano, scriptum sit, quidve sit interpolatorum opus inscite factum (sonderbar, tadelnswerth, unerträglich, geschmacklos, verkehrt, unendlich matt, anstössig, läppisch, thöricht, hässlich, lächerlich, Unsinn, heller Blödsinn, quæ omnia a criticis iam commemoratis de hoc carmine misero dicta sunt). Equidem nisi crederem totum carmen esse germanum, propensissimus essem ad sequendum Hardovinum et Lehrsium. Nam fragmenta divulsa mihi non placent.

Maxime sudaverunt critici in explicando, quomodo fabula de Europa narrata cum eis, quæ de Galatea dicuntur, cohæreat. Quum Europa et Galatea inter se conferri eis viderentur, comparationem in singulis quoque et minutissimis rebus aptam esse voluerunt, quod non ita est, ut omnes vident. Sole autem clarius esse puto summam sententiam et primarium argumentum in fabula inesse, quæque præcedant tantum præbere fabulæ occasionem. Ut sæpe Pindari digressiones mythorum plenæ leviter tantummodo ea attingunt, quæ in initio dicuntur [2]).

De ceteris permultis, quæ præcipue a Peerlc:o et Lehrsio contra carmen allata sunt, non operæ pretium erit in disputationem ingredi. Nam exceptis levissimis nonnullis Peerlc:i argutiis, quas Luebker copiosissime examinavit et refutavit, reliqua pleraque omnia æstheticis, quas vocant, rationibus ni-

[1]) Lit. Hist. Biogr. 126.

[2]) Vide quæ dixi ad III: 11, pag. 26.

tuntur, quæ si quis refutare vellet, dies vel longissima deficeret, neque quidquam proficeret, nam eiusmodi sunt, ut futurus hypercriticus alia æque multa promere possit. „Sentias,“ inquit aliquo loco in ann. ad hoc carmen Peerlc., „magis quam aperte dicas, cur non sit Horati.“ Neque tamen desunt, qui adeo sint plumbei, ut id sentire non possint.

De gustibus non est disputandum.

Str. 6 etiam Meinekius repudiavit, quod crudele esset uxoribus puerisque innocentibus malum imprecari. Horatius tamen vocem *uxores* propterea adhibuit, quod carmen ad feminam missum est, et uxores puerique una nominantur ut sæpe apud græcos γυναῖκες καὶ παῖδες.

Calamitosum cuivis strophæ est et perniciosum, si reliquis non quasi stramentum implicata est, sed sine ceterorum ruina abscindi potest. Separata enim ad se defendendum minus valet. Ut Schuetzius str. 14 delet, „quod sine difficultate eam delere liceat“, et str. 12 etiam abiceret, si propter vv. 71 et 72 fieri posset. Ergo str. 12 venia data manet, str. 14 removetur, quamquam hæc per se non peior est quam illa.

„Sine dubio“, inquit Gruppius [1]), „reprehensione dignum est, si quis remediis restituendi carminis oblatis non usus ea, quæ parum placent, delet“. Quod quum verissimum sit, ne dubitemus in v. 41 Sanadoni coni. *quam* pro *quæ* recipere. Miror præter L. Muellerum [2]) neminem editorem, qui quidem insignis sit, eam probare. Mutatio parva est, quum hoc verbum in codd. per notam plerumque scriptum sit, et sententia minus fit languida. *Procellæ* vocem, v. 62, in qua intellegenda interpretes curis pæne senuerunt, Lysander ita convertit, ut significet *deiectionem* (nedkastning), quæ vis mirifice mihi arridet. Procellendi verbum deiciendi vim habet, ut Plaut. Mil. gl. 3, 1, 167: *procellunt se et prosternunt dimidiati.* Quod quum ita sit, nihil impedire videtur, quominus Horatius poeta verborumque „novator“ substantivum eadem vi usurpare potu-

---

[1]) Aeac. 424.

[2]) In ed. germanis ann. instructa.

erit, licet talis significatio in literis nobis traditis nusquam alias certe ostendi possit.

Hæc ode una e longissimis Horati est. Qua re ut impetui hypercriticorum magis obicitur, ita minus fit verisimile eam esse spuriam. Horatius inter summos et infimos celebratissimus erat romanorum poeta, quare is potissimum a Cæsare delectus est, ut carmen sæculare scriberet, in viis plateisque digito prætereuntium monstrabatur romanæ lyræ fidicen, omnes eruditi romani carmina eius penitus noverunt. Quæ quum ita essent, quomodo credibile potest esse intra brevissinum tempus literis et artibus maxime florentibus memoria poetæ recenti carmen e 19 strophis compositum in Horati scripta furtim illatum eiusque nomine fucatum circumlatum esse? Confitemur carmen nostra quidem norma iudicantibus non esse inter optima habendum, id quod præterea ad pleraque carmina longa pertinet, sed antiquorum opinio longe alia fuisse videtur, nam vix alia ode horatiana sæpius quam hæc ab eis commemorata est vel pluribus testimoniis fulcitur. Atque nulla est causa, cur eam Horatio abiudicemus, nisi quis credat in odis eius nihil esse melius, nihil deterius, sed poetam unoquoque temporis momento perfectam pulchritudinis speciem attigisse.

XXVIII.

Hoc carmen Gruppius in libro, qui inscrib. Aeac., pag. 439, germanum esse putavit, sed in pag. 569 eisdem libri suimetipsius immemor dixit non supra omnes suspiciones elatum esse. Quum quæ essent istæ suspiciones, non dixerit, sibi soli eas habeat. Nemo alius quidquam reprehensione vel suspicione dignum invenit.

XXIX.

Peerlc. tertiam stropham repudiavit. Quid mali insit, non facile mehercle est videre. P. verba *omitte mirari fumum* vituperat. „Omittimus", inquit, „quod non repetimus, sed Hor. non poterat rogare Mæcenatem, ut omitteret Romæ vivere". Hoc autem non rogavit, sed ne miraretur fumum. Ad quod ita respondit Peerlc.: „mirari", inquit, „potest, qui primum videt, v. c. rusticus aliquis, non Mæcenas". Hic ut multis aliis locis Peerlc. iocum et ironiam non vidit, quæ tamen ne obiter quidem et leviter legentem fugere debuit.

Gruppius dicit [1]) Peerlc. hoc carmen totum [2]) abiecisse, et in Lehrsium invehitur, quod idem non fecit. Hoc tamen Gr. alucinatus est, nam ut iam diximus Peerlc. solam tertiam stropham delevit, de reliquis repudiandis verbum non dixit. Ipse primas duas strophas retinuit, reliquas quattuordecim abegit. Cur ita fecerit Gruppius ne γρῦ quidem dixit. Septem partes carminis horatiani refutatione indigna videntur ei, qui adeo est socors, ut ne ea quidem recte cognoscere curet, quæ Peerlc., vir ille maxima doctrinæ copia instructus, de eodem carmine ante eum statuerat. „Licet hæc somnia præterire" [3]).

XXX.

Peerlc. vv. 11 et 12 summovet, quæ res iam propterea improbanda est, quod summotis his versibus reliqua carminis pars quaternis versibus distribui non potest, quam distribuendi rationem quin usurpaverit ipse Horatius, hodie dubitari non potest. Deinde argumenta a Peerlc:io allata

---

[1]) Acac. 467, sq.

[2]) „In ihrem ganzen Umfang".

[3]) Madv. Adv. Crit. II: 50.

cortice sunt leviora. „Nimii sunt“, inquit, „tres versus in brevi carmine ad illud significandum, ubi natus sum“. Non tamen hoc solum commemoravit Hor., sed se in arida terra inter pauperes et agrestes homines natum tantam famæ celebritatem assecuturum esse, ut nomen suum inter omnes omnium temporum eruditas gentes notum futurum esset. Hoc ad carminis argumentum optime quadrat. Peerlc. etiam credit Daunum non potuisse appellari aquæ pauperem, quum Aufidus per terram eius flueret. Sed quamvis magnus fuerit amnis Aufidus, tamen Apulia re vera est terra arida, cuius rei iam Porph. mentionem fecit: *pauper aquæ dicitur, quia Apulia siticulosa est ob nimios calores*, et Hor. ipse alio loco, Epod. 3,17: „nec tantus“, inquit, „umquam siderum insedit vapor siticulosæ Apuliæ.“ Denique Peerlc. putat non posse dici *populorum* pro *hominum*, sed recte Schuetzius animadvertit eandem ob causam apud Homerum ubique repudiandum esse illud λαῶν.

Nihilo secius difficultas his versibus vere inest, quam Gruppius primus invenit, id quod laudandum est, nam talis est, ut eam silentio præterire non liceat. „Dicar in Apulia ex humili potens æolium carmen ad italos modos deduxisse.“ Hic Hor. aut dicit se in Apulia potentem factum esse, aut se in Apulia carmina sua scripsisse [1]. Neutrum verum est. Ut carmen corrigeret Gr. vv. 2, 10—16 delevit, retinuit vv. 1, 3—9. Ita etiam demitur v. 2, in quo est vox *situ*, de cuius significatione interpretes ambigunt, et restant duæ plenæ strophæ, quarum utraque absolutam et rotundam sententiam continet, atque concedendum est hunc Gruppi conatum inter optimos ab eo factos habendum esse. Protulit autem eum Minos, qui quemadmodum maior est natu, ita etiam, ut decet, semper fere moderatior ac prudentior est quam Aeacus. Prienius eodem fere tempore in eandem cogitationem incidit [2].

---

[1]) Nisi quis cum Bentl. putat verba *ex humili potens* de Dauno dicta esse, quad tamen satis ieiunum esse videtur.

[2]) M. Rh. 1858 pg. 340.

Præterea hanc quoque mutationem violentius esse factam, quam quæ probanda sit, quis non videt? Nam postrema stropha pulcherrima nulla alia causa eiecta est, quam quod versibus, qui præcedunt, tam prope conexa est, ut una cum eis evanescat, necesse sit. Nobis, quibus minus aspera remedia quam amputatio placent, alio modo sanandum est. Ego si conicientium turbam augere vellem, hoc modo v. 12 legerem:

— — — agrestium
Regnavit hominum patre humili satus, etc.

Addere festino me ipsum huic coniecturæ non multum tribuere. Nam primum codicum verbis et literas formandi rationi nimis est dissimilis (id quod cadit in plerasque doctissimorum quoque hominum v. c. Ungeri coniecturas, deinde ultima syllaba in *regnavit* producitur, cuius quidem rei multa exempla in thesi apud Horatium inveniuntur, sed in carminibus eius talis productio tantummodo ante cæsuram admittitur exceptis duobus ex. I: 3, 36 *perrupit Acheronta herculeus labor* et III: 24, 5, *si figit adamantinos,* ubi ante græcas voces [1]) syllaba est producta. Itaque melius fortasse erit cum L. Muellero (in postrema ed.) ante voces *humili potens* crucem apponere ad significandum eas esse corruptas. Si quis alius probanda coniectura locum emendare potest, ei gratiæ agendæ sunt. „Tu quidem, lector,“ inquit aliquo loco Casaubonus, „si aut ab ingenio aut ab otio aut a libris melius es instructus, age curriculum ingredere: nos in hoc certamine superari optamus.“

Iam ad umbilicum adductum est opus nostrum subsecivum et elucubratum milleque negotiis interpellatum. Vidimus eorum opiniones male concordantes, qui longe maximam Horati carminum partem abiciant, ab omni verisimilitudine prorsus

---

[1]) Modo hoc referat, nam duo ex. sufficere non videntur ad eliciendam communem metricam normam.

abhorrere. Qui quam parum in externis argumentis habuerint subsidii, in præfatione cognovimus, neque eis meliora fuisse „intestina“ argumenta iam nobis docuisse videmur. Restat, ut aliam quæstionem paucis retractem. Ut persæpe diximus, inter omnes hodie et hypercriticos et moderatos constat omnes interpolationes paullo post Horati mortem factas esse. Quibus facillime ita assentior, ut omnino necesse sit hoc statuere, si quis multa velit eicere. Atque ei quoque, qui adhuc extiterunt moderati, ut L. Mueller, Meinekius, cet., tam multa repudiaverunt, ut testimoniorum multitudine coacti facere non possent, quin interpolationes ad primum illud tempus referrent. Longe aliter res se habet, si quis paucissima tantummodo removet atque ea, quæ aut nullis aut posteriorum temporum testimoniis nitantur. Nos in tertio et quarto Horati carminum libro decem versus spurios esse putavimus, quos quo melius circumspiciamus, hic describere licet:

IV: 3, 16, 17: Reiectæque retrorsum Hannibalis minæ,
Non incendia Carthaginis impiæ —
IV: 4, 19—22: — quibus
Mos unde deductus per omne
Tempus amazonia securi
Dextras obarmet, quærere distuli,
Nec scire fas est omnia, sed —
III: 17, 2—5: Quando et priores hinc Lamias ferunt
Denominatos et nepotum
Per memores genus omne fastos;
Auctore ab illo ducis originem —

Ex his decem versibus primi duo nullis defenduntur testimoniis, neque quisquam erit, qui audeat dicere eos paullo post Horati mortem insertos esse, nam fraudis nota adeo eis inusta est, ut ab eruditissimo quoque illo tempore respuerentur. Reliquæ duæ strophæ a Porph. primo commemoratæ sunt, quamobrem ante eum ortæ sunt. Certius nimirum de ea re statuere non licet. Quonam vero tempore melius potuerunt censorias criticorum hominum notas effugere faciliusque carminibus elegantissimi poetæ romani inseri et sub eius nomine circumferri quam secundo post Chr. n. sæculo (circa a. 150)?

Nonne videmus illius maxime temporis grammaticorum inanem sedulitatem et vanam cupiditatem doctrinæ in minutissimis rebus ostentandæ? [1]) Hæc sententia cum fide et probabilitate historica certe magis convenit quam altera illa de maturo corruptelarum ortu. Semper enim difficultate aliqua laborabit, quisquis ad liquidum explicabit, cur interpolationum flumen primo satis profuse fluxerit, tum vero subito quasi opposita mole cohercitum evanuerit. Quo magis autem intestina et externa sive historica testimonia argumentaque inter sese consentiant, eo rectiorem crisin horatianam esse mihi persuasum habeo.

---

[1]) Cfr Teuffel. Roman. lit. hist. pag. 852 de Gellio: In seiner beschränkten Mittelmässigkeit spiegelt er den Charakter seiner Zeit treulich wieder, ihre wichtigthuerische Geschäftigkeit, ihre Verranntheit in Nichtigkeiten, ihren völligen Mangel an Urtheil und Verstand, ihre Gelehrsamkeit wie ihre Pedanterie.